This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

...natur, ita cc
...in ſpecie de
...ot. Bart. C. de p
...ub. Florentin
...a Ferrarienſ. e
...odem priuileg
...tionis in eum f

...ia habens
...bitatem i



H. ms. VII

TESSERA ROMANA, AUTHORITATIS PONTIFICIÆ.

Adverſus Buccinam *THOMÆ ANGLI*, & Claſſicum Heterodoxorum.

Authore P. *Fr. Franciſco* à Sancto Auguſtino Macedo Franciſcano Obſervante, Luſitano, Conimbricenſi, Magiſtro Artium & Theologiæ Profeſſore, Chriſtianiſſimorum Galliæ Regum Annæ Matris & Ludovici XIV. Concionatore, & Conſiliario : Joannis IV. Luſitaniæ Regis Hiſtoriographo Latino.

Londini Excudebat *R. Norton*, 1654.

130. e. 45.

SANCTISSIMO PATRI *DOMINO NOSTRO INNOCENTIO PAPÆ.* X.

QUem mihi alium Patronum optarem, Beatiſsime P. quam qui cum maximè patrocinium deberet, poſſet item addere Patrocinio dignitatem. Et quidem is tu es Innocenti Sanctiſsime, qui unus & jure teneris officij ad Pontificiam cauſam ſuſcipiendam: & ob muneris ſplendorem, perſonæ que amplitudinem, plurimùm vales ad eam magnoperè illuſtrandam. Nil igitur autiniquum, aut indignum à Sanctitate Tuâ poſtulo: cum & juſtum ſit, quod é re Pontificia eſt, tueri,

& decorum, lumen ei dignitatis afferre. Et quidem tot tamque præclaræ dotes ſunt tuæ, ut magnum præſidium, & ſplendorem, ſi te privatum adoptarem & citra dignitatem, Patronum, operi attuliſſes. Ecquis enim te nobilitate illuſtrior? ingenio acutior? indole celſior? judicio maturior? moribus gravior? Quàm tu vitæ integer! quàm ſceleris purus! quàm ab avaritia alienus! In ſuperos Religioſus: in miſeros pius: in pauperes effuſus. Intra magnanimitatem manſuetus: intra manſuetudinem magnanimus: gravis juxtà & comis: urbanus, & ſeverus: humanus, & incorruptus: in dubiis certus: in adverſis conſtans: in ſecundis moderatus. Unus tu tot tamque diverſas virtutes genio beato non ferebas modo, ſed etiam proferebas. Par omnibus animus Orbis theatrum admirationis implevit. Provocavit ſpectandi avidus tuam in ſcenam, produxitque perſonem. Eam ſic egiſti, ut commotam expectationem ſuperares. Evolare cum poſſes, ire per gradus ad dignitatis Apicem maluiſti: non quòd gradibus indigeres; ſed

quòd

quòd ipſi te gradus optabant, ut nullus virtute tuà vacuus eſſet : eâque aſcendentes erudiret. Ita ſingulos inſtitiſti, ut neceſſe eſſet te ipſum contrahere, & de magnitudine tua adimere, ne menſuram gradûs excederes. Sacros Magiſtratus omnes ita geſſiſti, ut nulli non natus viderere. Quàm in providendis rebus prudens ! quàm in adminiſtrandis dexter ! quàm in gèrendis induſtrius ! quam in conficiendis felix ! Vota hominum non implebas tantùm, ſed etiam præveniebas : Minus erat quod optabant, quàm quòd tu repræſentabas. Nempe ideam apud te perfectæ virtutis, quam nemo exprimendo æquaret, effingebas. Itaque humanos egreſſus terminos, quæ à Chriſto inſtituta ſunt munera provocabas. Nuntium ſic egiſti, ut Angelus viderere. Nemo tibi obnuntiavit : quòd Evangelia nuntiares. Jam te Cæli Portæ ambiebant, ut earum in te cardo verteretur. Per has patefactus ad Pontificatum aditus eſt. Purpureus Pater intraſti, citra fulmina, intra Sidera: imo & ultrà poteſtate iturus. In ſupre-

mo

mo Chriſti ſolio, Petri Cathedrâ, conſediſti, tam aptè, ut & tu ad illam, & illa ad te facta videretur. Columbam & inveniſti, & attuliſti. Et quoniam naſcenti Chriſto Pax arriſerat, Oleam, Pacis ſymbolum, Columbæ addidiſti. Paſtor Agnorum: ſed tam ſimilis Agnis, ut *Innocentij* quoque nomen amares. Fortè Agnum præſtitiſti, quòd Paſtor pro Grege Victima futurus eſſes. Huic tu nobiliorem tui partem impendiſti: vigilando, laborando, protegendo, dirigendo. Leoni Adverſario ad Caulas rugienti, eaſque circumeunti, ſtrenuè reſtitiſti. Lupos raptores, quos improba mentis rabies ſtimulabat, avertiſti: gregem integrum, intactum que ſervaſti. Ac non eum ab externa ſolùm vi tutum: ſed à domeſticis etiam malis liberum reddidiſti. Ambitione dejectâ: oppreſſâ Avaritiâ: Integritate revocatâ: Fide reſtitutâ. Obſtructi à te ſunt omnes aditus ad ea vitia, quæ Greges ſolent corrumpere. Fraudes, dolos, ſimulationes, profuſiones, rapinas, luxum: nec minus exemplo, quam lege. Nihil in tuo ſacro imperio fluxum: nihil remiſſum: nihil diſſolutum: omnia

nia certa, conſtantia, incorrupta. Quæ duæ res continere homines in officio ſolent, Præmium rectè, Supplicium ſecùs factorum, te Pontifice, maxime valent, valebunt que. Juris amans, veri aſſertor, æqui vindex honeſti laudator, decori ſtudioſus, vitiorum hoſtis ſordium que haberis.

Hâc Rem Romanam nullo turbante tumultu
Arte regis.

Et Romanæ Sedis dignitatem authoritatèm que tueris; nullâ quippe illæ re magis, quàm virtute Pontificum & ſuſtinentur, & conſervantur. Id cùm ego animadvertiſſem, & occaſionem de Authoritate Pontificia ſcribendi nactus eſſem, non potui non Sanctitati Tuæ opus conſecrare: cùm quod privatæ virtutes ſuadeba nt, publica dignitas exigeret. Quòd autem exiguum ſit illud, & tenue, id cùm ſubitæ meæ ex Anglia profectioni, tum imbecillitati ingenij, id eſt, partim fortunæ, partim naturæ aſſignandum quibus, moderari mihi non licet. Sed utranque excuſabit honeſtas & dignitas Cauſæ, cùm præſertim Decorum ſit in media Anglia, in ipſa Arce

ac

ac Corde Regni, Inter juratos ac præcipuos Romani Pontificis hoſtes Authoritatem ejus dignitatemque tueri: quod ſane & ad vim Veritatis ſignificandam, & ad veniam à te mihi impetrandam conducet. Id unum quippe mihi propoſitum eſt: Veritatem ſine fuco, ſine ſpe, ſine lenocinio, & colere, & profiteri. Hoc animo ſum, Sanctiſsime Pontifex *Innocenti*, ut, quæ hic ſcripſi de Authoritate Pontificia, paratus ſim meo ſanguine confirmare. Quod ad Eccleſiam attinet, nil ego ei ſalubrius optare poſſum, quàm ut te diu Paſtorem habeat: tibique id, quod Auguſto olim Roma apprecata, eveniat *Serus in Cœlum redeas*, ut dum vivis, Superos tecum præſentes habeamus.

Valeat Sanctitas Tua ad Fidei præſidium, ad Religionis ſplendorem: ad Eccleſiæ ornamentum.

LONDINO.

Servus Sanctitatis Tuæ minimus

Frater Franciſcus à Sancto
Auguſtino Macedo.

LECTORI OPTIMO.

POſtquam Appendicem ad Buccinam Thomæ Angli oblato Lituo refutavi, & hic cum plauſu à Viris Catholicis & piis exceptus eſt, rogarunt me quidam ex ipſis, ut opellas omnes Authoris recognoſcerem, & doctrinam in ijs traditam examinarem, quòd ob illam exparte Author minus apud Catholicos benè audiret. Feci animo candido, & recto, non ut inſectarer, læderemve perſonam: quam & amo propter virtutem, & propter eruditionem colo: ſed ne ſiquæ eſſent pravæ in eo opiniones erroneæque ſententiæ, illæ tanti obtentu nominis invaleſcerent, & Reipub. Chriſtianæ officerent: Quod in Anglia maximè timendum erat, ubi Heterodoxi dominantur, qui ſiquis ad eos Catholicus

opinando accederet, animos ſumpturi eſſent, & majore vi Romanam Eccleſiam oppugnaturi. Itaque ſuſcepto ſtudio legi opuſcula quædam Authoris, & comperi non vanam fuiſſe Catholicorum de illo ſuſpicionem. Incidi quippe legendo in nonnullas pravas perverſas que ſententias quibus hæreſes ſuas Heterodoxi confirmare poſſent. Et quoniam omnes nunc ego jam in procinctu ad navigandum in Luſitaniam confutare non poteram, unam elegi capitalem, quòd ad caput Eccleſiæ, id eſt Romanum Pontificem, attinebat. Cujus Authoritatem Thomas Anglus in Tractatu ſuo de Tribus virtutibus Theologicis ita infringit, ut anſam præbeat Heterodoxis gloriandi, quòd ad Caſtra à Romano-Catholicis ſua Thomas Anglus penè tranſierit: ſecumque, niſi apertè reclament, alios deduxerit. Quare communem cauſam nomine omnium Angliæ Catholicorum ſuſcepi: cumque mihi refellendum propoſui, & alacritatem Hæreticorum inhibui, impetumque repreſſi. Atque ut aptius id, & clarius efficerem, ſententiam Authoris, uti ab eo tradita erat, productis duobus integris Paragraphis (ſic appellat) exhibui

bui, tum ut de mea in citandis erroribus fide, tum de veritate doctrinæ in refutandis constaret. Et quoniam non tam mihi cum Thoma Anglo privato homine, quàm cum ea, quam induit agit que in Heterodoxa scena persona, contentio fntura erat, paulo latius stylum effudi, & rem copiosius explicavi, ut quod occasione unius hominis impugnando dicerem, ad omnes prorsus Heterodoxos pertineret: ut in eo se peti sentirent àquo se tectum iri spe rabant. Plures instituera quæstiones, ac unam de Authoritate Papæ circa Indulgentias, quam ad tres Articulos jam provexeram (sunt enim ea in re multi & graves Thomæ Angli errores) sed indictâ mihi in Lusitaniam profectione coactus fui intermittere, & opus penè imperfectum relinquere. Sed quoniam audio eum mihi fore responsurum, in patria, responso accepto, commodius & inchoata perficiam, & nova reponam. Cumque ille militari usus sit inscribendo voce Buccinæ, & ego anteà non ineptè lituum attulerim, nunc aptissimè Tesseram *adduco, quæ nota est militaris, & teste Poeta.*

It bello Tessera signum.

Cæterum id pro meo in Patriam meam Amore lector, te monitum volo: Proprium Luſitanæ gentis eſſe: Fidem Romano-Catholicam inter exteros propagare, & inter hoſtes defendere.

PARAGRAPHUS XVII.

Quomodo Privilegium Petri maneat in ſucceſſoribus.

EX dictis de Romanæ Eccleſiæ infallibilitate, è videns ſit, Privilegium *Petri* fuiſſe ipſi perſonale, condiſtinguendo eum contra cæteros Apoſtolos; non autêm condiſtinctè contra ſuam Eccleſiam: & ſic intellectum, eſſe neceſſarium & ſummè proficuum Eccleſiæ: Privilegium autem Perſonale, quod comminiſcuntur Moderni, ex quo habeat Papa condiſtinctè ab Eccleſiâ ſuâ Spiritum quendam prophetiæ, per quam præmiſſis quibuſdam conditionibus, ex ſpeciali Spiritus ſancti dono, non poſſit in definitione ſuâ errare, eſſe prorſus ſuperfluum: Cùm hoc donum quod explicuimus, in Eccleſiam Romanam collatum, abundè ſuppleat quicquid univerſali Eccleſiæ deficit vel moleſtum evadit; hoc eſt, congregationes frequentes Conciliorum Oecumenicorum. Intereà enim veritates

ad fidem Catholicam ſpectantes, magno cum momento decidi poſſunt ſine magnâ difficultate, quando unius civitatis clerum in eâdem civitate colligi nihil moleſti eſt: ſed ſi ſuperfluum eſt, etiam non minus inutile eſt: tum quia dum ex ſolâ probabilitate & Theologorum placitis pendet ipſa perſuaſionis potentia; id eſt, quam authoritatem habeat; neminem cogit; neque habet effectum ad quem excogitatum eſt.

Sed præterea tot ſubjacet conditionibus inviſibilibus, et non facilè ſentiendis; ut ex eo quoque capite omne robur deperdat. Quando enim aut quomodo infallibilitas ſequatur Perſonam Papæ, non convenit ipſis ejus Authoribus; aliis requirentibus ut in Concilio Univerſali; Aliis ut ſaltem in Provinciali; aliis ut in conſeſſu Cardinalium; aliis ut in conventu Doctorum præſideat; aliis tandem ut prudenter & maturè rem diſcutiat; Aliis ut per alios hoc præſtet, ipſe divinum duntaxat calculum ex aliquâ prædictorum ſuppoſitione demittat. Horum autem pars difficilis, & ſine fructu eſt, ut conciliorum Congregatio, quâ poſitâ, vigor papalis determinationis marceſcit: Concilio enim tribuitur Actio, non Papæ: Pars nulli inſigni crediturorum parti innoteſcere poteſt: Nulla etenim poſſunt eſſe adeo expreſſa Bullæ verba, ut fidem faciant Papam vel vidiſſe, nedum audiviſſe lectam, vel totam legiſſe. Notum eſt enim pleraque ex formæ vi, multa ex Miniſtrorum affectu & ſuggeſtione, nonnulla fraude vel negligentiâ irrepere.

rere. Quæcunque verò sint, esse modos quibus Papales aures obserentur, ne audiantur nedum corrigantur.

Sed nec servit hujusmodi Privilegium illi intentioni Scriptorum, quæ forte sis illud comminiscendi primam originem dedit : puta, ut infallibilitas Ecclesiæ defendatur, neque opus sit aliquorum Conciliorum erroribus oblinendis laborem impendere. Longè enim magis acceptabile est homini ratione utenti, Congregationem orbis terrarum non errare, quàm unum singularem hominem. Sed & decreta Conciliorum majori diligentiâ & labore perficiuntur, quàm Papalia ; neque error sine notoreitate incidere potest ; neque sunt de quæstiunculis adeo obviis & occurrentibus ; neque tam frequentia & quotidiana & surreptioni obnoxia, quam mãdata Principis alicujus : etsi restringantur ad præsentiam Papæ in Concilio Universali, rursus redduntur ex eo capite parum efficacia ad utilitatem Ecclesiæ ; propter infrequentiam ; & infallibilitas magis ad concilia referetur ; quia Concilia non nisi in casibus notoriis Errores incurrunt.

Adde quòd hujusmodi Privilegium nullum fundamentum habet vel in Sacris Scripturis ; vel in sanctis Patribus. Cum enim consuetudo Antiquiorum Pontificum fuerit, decreta ad alias partes transvehenda (maximè si de rebus fidei tractarent) non nisi in Conciliis, vel in consessu Cleri Romani statuere : Sed & ipse Clerus in absentiâ Romani

Paſtoris vel interrogâo reſponſa reddere non diſtulerit; Nihil quod vel in divinis libris, vel illuſtribus *P*atribus reperitur, neceſſariò vel de more Eccleſiaſtico poteſt intelligi de Perſonâ Pontificis, ſecretâ à ſuo Clero, ſed ut in ipſo & per ipſum definiente.

Expende quoque quòd non poſſit ſuſtineri, niſi violando leges & naturæ & gratiæ: Naturæ, quoniam & Philoſophia & inductio & experientia firmat omnem particularem hominem errori & falſitati & peccato ſubjectum eſſe: *G*ratia quoque docet generaliter naturam humanam eſſe & deceptioni & peccato obnoxiam; & neque ab uno, neque altero, niſi actu & fallibiliter in particulari exemptam. Hi verò Theologi volunt Papas regulâ generali in certis articulis eſſe ab errore exemptos; cùm tamen exemptio ab errore difficilior ſit exemptione à peccato, et eam præſupponat; prudenter enim judicaturo neceſſe eſt nullam pravam inclinationem circa objectum vel actionem habere; à peccato autem et imprudentiâ eximere Papas, nemo dum, quod ſciam, aggreſſus eſt.

Eſt hoc Privilegium in ſeſe intrinſecè miraculoſum; in quo Deus ſuprà naturæ vires, et contra leges gratiæ, ſeſe exerceat: et propterea neque aſſerendum, neque credendum ſine ſpeciali revelatione, qualem in Univerſali ſcimus nullam eſſe: ſi particularis allegetur, petendum eſt miraculum in confirmationem: etſi ſpecialium revelationum ad dogmata Eccleſiaſtica infirmitatem plerique ſatis

agnoſ-

agnoſcant. Præterea Pontificum errores & contradictiones ſunt manifeſtæ, & quæ excuſari cum verecundiâ non poſſint: maximè ſi non de actu, ſed de ſenſu Eccleſiæ, an fuerint poſſibiles, ut Liberij, & Fœlicis, & Honorij, & Vigilij, Sergij, & Formoſi, Joannis vigeſimi ſecundi, & Nicolai, & plurium aliorum: quos ſi excuſare velis, ad conjecturas & vana commenta recurrere oportet, ut rem de ſeſe incredibilem & inutilem ſuſtineas: & te faciliùs ridiculum, quam rem ipſam plauſus meritoriam reddas.

Sed quid poteſt adferri adverſus Concilia ipſa Univerſalia, quæ Honorium & Vigilium notant? Quid ad Pontifices agnoſcentes eorum errores & condemnationem? fortaſſis eſſe deceptos? Velim, ſed quid ad rem? numquid poterant in hoc decipi, utrum Papa poſſit errare necne? num poteſt negari quod acceptaverint Papam erraviſſe, ſive re, ſive per errorem? Hoc ex ipſis Conciliis & Pontificum acceptatione in totam Eccleſiam permanaviſſe; & à totâ Eccleſiâ conſtanter retentum eſſe? ex hac Eccleſiæ perſuaſione in ipſo jure Canonico expreſſum eſſe Papam poſſe propter hæreſim deponi? Sed & Juris Antiſtitibus hoc eſſe quaſi principium, & inter ipſoſmet Theologos contra quos diſputamus, pro communi ſententiâ eſſe receptum? Quod quomodo cum ſuâ ſententia compoſſibile faciant, ipſi muginentur. Num Papas velint pro mentali hæreſi, vel pro non publicata, vel abſque eo quòd ſint pertinaces,

vel quo alio effugio per aliquam hæresim non hæreticam depositionem mereri? certè grossis hominibus, ex quibus Ecclesia plerumque constat, & ex quibus me non eximo, non potest non videri, sensum Ecclesiæ esse personam Papæ posse hæresim promulgare. Tandem consideretur quod ex quo opposita sententia cæpit radices in Ecclesia figere, eviluit Conciliorum præsertim generalium frequentatio. Verè enim si Spiritus sancti afflatus est Pontificiis decretis infallibiliter affixus, quorsum Episcoporum absentiis & itineribus conturbandus est totus mundus? qui neque ad hunc ipsum afflatum aspirare post labores & pericula possunt, nisi decreta sua subjiciendo Sanctæ Sedi, & hoc agendo, quod sine iis & eorum fastidio fieri potest. Maneant itaque in Ecclesiis suis, & hanc novitatem prædicent populis, quicquid ex successoris Sancti *Petri* ore derivatum est, aperire cæcorum natorum oculos, tamquam si ab æterna defluxisset sapientia.

Quoniam itaque Apostolorum exemplo & institutione Concilia ad sanitatem gentium congregata sunt, & eorum legibus & dictatis tot sæcula stetit & roborata est Ecclesia, sententia quam impugnamus tam formidanda est, ne Ecclesiam in ruinam & exitium trahat, quàm omni probatione & fundamento inanis est & incerta. Quæ diximus contra hanc sententiam, ex parte non minùs valent contra eos qui ponunt in Conciliis vel generalibus, vel regionalibus, vel etiam in Congregatione Ecrle-

cleſiæ Matricis, immediatum quendam ſupra eorum quæ conſpiciuntur connexionem, inviſibilem inſuper finem quo infallibilitatem non intelligunt. Hujuſmodi enim commenta cùm ſint ſtupenda; & portenta, non aliàs quàm quando neceſſarium eſt ut appareant à Deo facta, patrari in Theologicis dictum ſit; non ſine ſpeciali revelatione fidem merentur; & detrahunt ſapienti Eccleſiæ ædificationi à Deo, & Chriſto Domino in prima inſtitutione præſtandæ: & propterea ſunt rejicienda.

PARAGRAPHUS XXII.

Solvuntur Argumenta ponentium Perſonam ſucceſſoris Petri eſſe regulam fidei.

ARgumenta pro Papali inerrabilitate multa ſunt, ex authoritate & ratione elaborata; ſed niſi me fallit animus, nullum quod pro Papâ prout contra ſuam Ecclesiam diſtinguitur, cum aliquâ verisimilitudine militet. In quibuſdam ſanctorum teſtimoniis, & quidem efficaciſſimis, Romana Ecclesia nominatur, in reliquis Epiſcopus Romanus, vel aliquid æquivalens. Sed ubi Epiſcopus contra Clerum ſeu Ecclesiam condiſtin-

diſtincta Perſona exprimatur eſſe, nihil prorſus invenio. *Dices* referri in ſucceſſionem Petri hanc infallibilitatem ; Petro autem ut Perſonæ collatam eſſe authoritatem quâ potiebatur. Reſpondetur ex ſucceſſione quidem Petri manere privilegia Romano Pontifici, ſed non ea quæ erant privilegia Perſonalia ipsius ; ſicut neque Perſonalia privilegia cæterorum Apoſtolorum manſerunt ſuis ſucceſſoribus. Privilegia itaque quæ manſerunt, erant privilegia *Petri* non *Simonis* ; id eſt, ea quæ data ſunt ei cum nomine *Petri*, hoc eſt, ea quæ habuit quasi in familiâ Chriſti, ſeu reſpectu aliorum Apoſtolorum, ſeu quatenus in Apoſtolatu prælatus eſt cæteris ; hoc eſt, quatenus Epiſcopus primæ Ecclesiæ. Itaque & promiſſa & data ſunt ei ratione ſuæ Ecclesiæ ; vel potiùs prophetata de Eccleſiâ ipsius, ſed nomine & Perſonâ *Petri*. Quid enim, ut ex præſenti quæſtione non recedamus, inſulſiùs dici poteſt, quàm *Petrum* accepiſſe inerrabilitatem reſpectu cæterorum Apoſtolorum, quasi cæteri errare potuiſſent, & poſt ſeparationem ad *Petrum* pro inſtructione redituri, poſtquam plenitudinem Spiritus ſancti ad orbis magiſterium accepiſſent ?

Neque refert, quod *Paulus* acceſſit ad *Petrum*, collaturus cum ipſo Evangelium, ne fortè in vacuum, ut ipſe loquitur, curreret vel cucurriſſet. Nam neque ad ſolum *Petrum* acceſſit, ſed etiam ad *Jacobum* & *Joannem*, hoc eſt, ad Ecclesiam, neque phrasis illa aliud ſignificat, quàm ut collata

ta cum ipſis Evangelizatione ſuâ, oſtenderet & ipſis, & iis quibus prædicaverat & prædicaturus erat, ſeſe idem Evangelium prædicare quod cæteri Apoſtoli; de quo, ut docet Auguſtinus, ſuſpectus erat. Quale enim eſt eum, qui jactat ſuum Evangelium neque ad homine, neque per hominem eſſe, quique illud in Paradiſo, ſeu in tertio cœlo, id eſt, in ſuperiori regione aëris coram à Chriſto accepiſſet, de eo dubitare? Unde etiam dicitur quòd dederunt ei dextras; quod fratrum & ſociorum eſt, non ſuperiorum & mittentium in Apoſtolatum. Quæ itaque de Conciliis diximus, tum quoad teſtificationem, tum quoad ſpecialem affluxum Spiritus Sancti, etiam de Papâ pronuntiata eſſe intelligantur. Et ſic ab hâc difficultate de Eccleſiæ Regulâ quoad fidem expediti ſumus, ſi moneamus & noſmetipſos & alios ad quos hæc examinare ſpectabit, hanc quæſtionem de Regulâ Fidei, non eſſe ejuſdem rationis cum aliis quæ in Theologiâ tractantur. Cæteræ enim quasi privatæ ſunt, hæc publica & univerſalis: in cæteris ſi erretur, error non ultra ſuam materiam extenditur: in hâc ſi erres, omnes materias in dubium vocas, & univerſam Eccleſiam in exitium, quantum in te eſt, trahis.

Sic lugubria experimenta nos docent, omne Hæreſeon genus ex eo trahere originem, quòd Sacram Scripturam, vel certè privatum Spiritum pro Regulâ fidei ſtatuunt. Tantundem eſt, ſi quis vel Concilia, vel Papam citra juſtas leges, hoc

eſt, aliter quàm per modum teſtium, pro Fidei authoribus ſtatuat. Clarum enim eſt, eo ipſo talem Theologum ſubjicere totam Eccleſiam cuilibet errori pro fide ſuſcipiendo, quem Concilium vel Papa modo illegitimo propoſuerit. Quare ſi certitudo fidei in integrâ Eccleſia ſit baſis & fundamentum totius vitæ Chriſtianæ, & ſubſiſtentia ſpei futurorum omnibus fidelibus; evidens ſit, quodcumque aliud crimen vel ſcelus longè minus & inferius eſſe propagatione talis doctrinæ. Dico incendia templorum, violationem Sacrarum Virginum ſuper aras, conculcationem venerandi corporis Chriſti, tandem immiſſionem Turcæ vel Antichriſti in regiones Chriſtianas. Omnia enim hæc damna ſunt corporalia, & fidem à ſenſibus, non ex animis tollunt: ſed propagatio talis doctrinæ ex naturâ ſuâ ex ipſo animo evellit ipſi Eccleſiæ univerſali fundamenta omnia ſalutis. Ponat itaque manum ſuam ſupra cor ſuum quiſquis ſententiam Romæ datam, non contentus utique ad obedientiam premere, fidei ſubjectionem flagitat: & ſeveriſſimam indigniſſimamque ſervitutem Eccleſiæ totius cervicibus imponere audet. Et videat quanto ſcelere ſe implicat, & quam rationem ſupremo judici facinoris adeo temerarij in exitium Univerſæ Eccleſiæ machinati, ſe redditurum expectare debeat.

Sed & comparo Regulæ Fidei corruptionem per Hæreticos, & hanc quæ per Concilij vel Papæ evectionem ſupra omne quod dicitur Deus Eccleſiæ accidit;

accidit; & video comparationem esse, qualis est ulceris in cutem, ad aliud in ipsa viscera erumpens. Hoc enim maturatione suâ occidit hominem, virus in vitales partes effundens; illud vero sese purgando sanatur. Sic dum corruptio in regulâ fidei est in quodam extrinseco, efficiuntur ei adhærentes, & sana manet Ecclesia. Sed quid fiet his morbis qui capiti & cordi Ecclesiæ sese affigunt? num separari poterunt? non periclitantur ipsa Principalia membra veneno suo polluere? Verum est quod in Concilio Universali minus periculi est; tum quia rarò congregatur; tum quia maturè res agitatur, & per multorum selectas manus; tum quia non adeò ei vacat rebus levioribus attendere, neque facilè circumvenitur: quorum opposita omnia obsident & circumsistunt Papam, & propterea majus est de eo periculum.

Mihi satis est pronunciasse Opinionem tenentem Papam personaliter, & ut distinguitur à suâ Ecclesiâ, si est falsa, vel potiùs quia nullum fundamentum habet, non posse non esse Hæreticam vel potius Archihæreticam, & ex naturâ rei Matrem & Matricem infinitorum & spurcissimorum errorum: & ex Theologorum Scriptis ferro & foco exterminandam, non argumentis revincendam, quæ nullum habet neque habere potest fundamentum. Quæ enim argumentationes idoneæ sunt quotidiano miraculo, adeò à naturâ haustæ & in Universos propagatæ apprehensioni adverso; contra Patrum & Conciliorum & totius Ecclesiæ Do-

ctorum perpetuum ſenſum, evincendo? Ne quis tamen propinquitate dictorum fallatur, monendus eſt lector, hoc effatum nihil obſtare poteſtati Papali, quæ ex imperio & poteſtate gubernativa pendet, quo minùs poſſit prohibere & interdicere ſententias ſub quibuſlibet pœnis: ſed dumtaxat reſpicere poteſtatem definitivam & fidei artificem.

CAPUT

CAPUT UNICUM.

Sensus Authoris indagatur, eruitur, Proponitur.

CUM nihil tam sit arduum atque difficile quàm alienos, cùm obscuri, & tecti sunt sensus inspicere, & hic, quem refuto Author, naturâ vafer, stylo durus, dictione horridus, methodo inconditus sit, & in hoc maximè opusculo obscuritatem affectarit, quòd vellet errores quosdam suos occultè spargere, & sparsos obruere, ne deprehendentur; & extarent, ut postea sensim irreperent, serperentque diu multúmque in horum quæ adduxi, Paragraphorum sensu investigando, & aperiendo laboravi.

Quippe qui & Officij esse ducam, fidem in referendo servare; & conscientiæ, sensum non extorquere, nec extortum ad errorem traducere. Id ex Augustino, cujus me discipulum palàm profi-

teor, didici quo nemo difficilior fuit in credendis, nemo benignior in exponendis, nemo patientior in tolerandis erroribus hæreticorum: quod primo contra Pelagium ſcriptis apparet. Sic & affectus & inſtitutus ſenſa in his Paragraphis *Thomæ* Angli contenta, ſumma cum fide interpretor & produco:

PARAGRAPHUS XVII.

PARTE I.

PRimũ ait Privilegiũ *Petri*, quod Par. 22. *Infallibilitatẽ* appellat, *fuiſſe perſonale Petri condiſtinguendo eum ab cæteris Apoſtolis*: id eſt, independenter à cæteris Apoſtolis, ita ut hoc illo nũ cum conſultatione, & conſortio poſſet certò, & infallibiliter definire. Addit. *Non enim condiſtinctè contrà ſuam Eccleſiam.* Id eſt, dependenter ab Eccleſia cum *Infallibilitatem* acceperit, ut nihil niſi illâ & ſociâ & conſultrice certum & infallabile ſtatuere poſſet.

PARTE

PARTE II.

NEgat in N. Summo Pontifice successore *Petri* esse illud Privilegium independenter à Romana Ecclesia; quippe quòd concessum sit Ecclesiæ Romanæ, non ipsi Pontifici Romano: & contrariam Sententiam appellat infra *Commentum Modernorum*. Quid autem intelligat per Ecclesiam Romanam docet, tum hic duobus Paragr. tum manifestius Paragrapho xvi. aiens: Esse Clerum Romanum, id est, *Papam in Congregatione Parochorum Romanorum*, qui sunt Cardinales.

Aggreditur deinceps infirmare hujusmodi Privilegium Personale. Primò ex dissensione Authorum in eo statuendo. Secundò ex surreptione errorum qui possunt contingere, sive ob incogitantiam *& negligentiam Papæ*; sive ob *Ministrorum machinationes & fraudes*.

PARTE III.

PErgit elevare *Papæ* authoritatem anteferendo ei Concilia: quæ liberiora vult esse à subreptione & errore; cum constent ex multis: nec

Præ-

Præſentiam Papæ deſiderat, tum quòd ea parum utilis erit, tum quòd ſupervacanea: cum quod ſit certò conſtanterque definitum, id Concilio potius ſit, quàm Pontifici aſſignandum.

PARTE IV.

NEgat hujuſmodi Privilegium ullum habere id Sacris Literis, vel Patribus fundamentum. Suadet ex eo quod tempore Interregni ob mortem Papæ, vel Schiſma, in Clero Romano reſidet illa facultas definiendi; quæ ſine Pontifice datur, cum ſine Clero Pontifici non detur.

PARTE V.

INducto eo Privilegio *violari Leges naturæ, & Gratiæ.* Naturæ, quòd nemo homo non fallitur. Gratiæ quod nemo non peccat. Utroque autem Pontifex liberatur, cum homo ſit.

Parte

PARTE VI.

AIT Rem esse incredibilem: nec de ea nisi aut Revelatione, aut miraculis constare posse: quæ comperta non sunt. Errores deinde Summorum Pontificum commemorat qui negari & excusari nequeant. Itaque Papas & in hæresim posse incidere, & eam promulgare, & ob eam deponi affirmat.

PARTE VII.

QUeritur hoc Inducto Privilegio tolli necessitatem Conciliorum Generalium. Nam si Decreta Pontificia sunt Divina quædam Oracula, non sunt ea à Conciliis petenda. Unde ea tantum novitas ab Episcopis prædicanda, & omnino Concilia omittenda.

PARTE VIII.

TAxat hanc sententiam tanquam inanem & perniciosam Ecclesiæ, quod Concilia ab Apostolis in-

ſtituta, & commendata evertat. Ac demum ſtatuit. Nullum prorſus eſſe Divinum influxum, id eſt, Afflatum Spiritus Sancti in ulla Concilia, vel Generalia, vel ſpecialia, nedum in Papas: atque adeo hæc mera eſſe commenta.

SENSUS PARAGRAPHI XXII.

PARTE I.

CONfirmat in Perſona Papæ nullum Infallibilis authoritatis Privilegium ineſſe: ſed Clero Romano ad id omnino indigere: & ſibi in hoc eſt conſentiens.

PARTE II.

AIT, Ex eo quod Papa ſit *Succeſſor Petri*, non frui hoc Privilegio: cum Perſonalia Privilegia *Petri* non tranſierint ad ſucceſſores. Sed ea tantum quæ nomen & ſedem *Petri* ſequebantur. *Petrum* tamen non per ſe, ſed ratione Eccleſiæ ſimile illud Privilegium accepiſſe.

PARTE III.

STatuit nil Petro ſupra Cæteros Apoſtolos authoritatis collatum. Eum *Fratrem & ſocium eſſe.* Neque inter Apoſtolos quicquam quoad authoritatem interfuiſſe. Judicat verò producto exemplo *Pauli omnes æquales* extitiſſe quod in eandem Eccleſiam omnes pariter coaluiſſent.

RELIQUO PARAGRAPHO XXII.

EXaggerat vehementer imo & hyperbolicè Errorem aſtruentium hujuſmodi Privilegium Definiendi veritates Fidei conceſſum Summis Pontificibus. Ait Peſtiferum, Exitioſum Eccleſiæ Eſſe, Eo *everti fundamenta Fidei, imponi jugum Catholicæ Religioni, induci Antichriſti ſuperbiam*: neque hâc nota liberat eos qui Conciliis Univerſalibus idem Privilegium attribuunt, licet plus hæc quam Pontifices fidei, & authoritatis habeant: nec tam ſint errandi periculis obnoxia. Concludit monendo Lectorem nolle ſe quicquam detra-

here Poteſtati Papæ quâ Eccleſiam gubernat; & vetat ne quà prava ſententia invaleſcat. Sed hujuſmodi tantum Poteſtatem definit vam & Fidei artificem infirmare.

Summa Sententiarum eſt.

1. Privilegium Infallibilis Authoritatis, ſi quod eſt, non *Petro*, nec ſucceſſoribus immediatè, nec Perſonaliter, conceſſum, ſed Romano Clero, & ab eo dependere.

2. Hoc Privilegium non eſſe certum Influxum, & Afflatum, nos Aſſiſtentiam dicimus, Spiritus Sancti, atque adeo eſſe incertum & fallibile.

3. Papam non ſolum hæreſim poſſe admittere, ſed etiam promulgare.

4. Concilia tum *Generalia*, tum Privata obnoxia eſſe erroribus.

5. *Pontificem* multò minus, quam Generale Concilium, & Romanam Eccleſiam, id eſt, Clerum authoritatem habere.

6. Concilium non modo *Papæ* Confirmatione non indigere, imo ipſum per ſe ac ſine ulla Papæ dependentia veritates definire. Illæ v. totidem Authoris Concluſiones ſunt. Iſtud vi. ex illis deductum & ſequens.

7. Tandem Cenſet Hæreſim eſſe turpiſſimam & pernicioſiſſimam: Affirmare Papam etiam ut ſucceſſorem *Petri* habere Infallibilem in definiendis Controverſis Fidei Authoritatem. Hæc

Hæc ſummâ fide erui, & aperui. Nunc ad ſingula confutanda accedo, & id agens manifeſtius oſtendam has ſententias, & Authoris eſſe, & Errores eſſe: ut nemini dubium ſit *Thomam* & ita ſenſiſſe, & ſentiendo erraſſe. Diſputando propriè contra ipſum, & diſputationem aptè ad Hæreticorum confutationem convertam: Et quid in hac Controverſia ſit tenendum, perſpicuè exponam.

QUESTIO I.

De Authoritate Papæ.

ART I.

Fueritne in Petro Infallibilis Authoritas?

DUO nobis Catholicè dat *Thomas*, quæ negant Hæretici. Alterum *Petrum* Romanum Epiſcopum, & Paſtorem ejus Eccleſiæ, et Cæterarum Orbis Caput Principemque fuiſſe. Alterum *Petrum* Succeſſores eâdem in ſede & munere habuiſſe, eoſque haud dubiè Romanos Pontifices,

tifices esse. Quod utrunque Hæretici adeò impudenter negant ut fuerint qui Romæ Petrum fuisse negarint cum Velano, et Franco, quemadmodum tradit Cano de locis. lib. 6. cap. 8. & Maldonatus in Joannem. c. 21. De quibus ego sic judico, si argumentis urgeantur, ne admittant Romanos esse Pontifices Romam ipsâ urbem esse negatoros. Gratulor igitur Thomæ, quod antè nihil admisit adversus hoce duos Errores pugnandi: contra quorũ Authores *pugnat Orbis Terrarum*, tanquam *insensatos*.

Igitur accepto, quod dat Catholicè Thomas, propria quæstio supereſt. De Authoritate Petri Romanique Pontificis. At primum removeo *nebulam* Analogiæ, *qua septus* infert se noster hic Author, non satis distinguens inter Regulam Fidei, & Judicem Controversiarum Fidei, perinde ac qui harum Judex sit, eum & Regulam Fidei esse oporteat, uti apparet ex tractatione hujusce quæstionis à Paragr. XI. ad XXIII. In quo ille vehementer errat, cum multum inter utrunque intersit. Est enim Regula Ratio quædam veluti idea ad quam Judex intuendo judicium suum dirigit accommodatque, ut rectè de re sibi proposita judicet. Itaque Regula judice superius quiddam est, ac vim ei imperantis habet. Estque Æterna, & immutabilis, & ab Errore prorsus aliena. Ac liquet Exemplo Judicis in Causa Forensi, qui jus consulit, & legi auscultat, ut secundum eam ferat sententiam. Quam differentiam & similitudinem cum apud me ratiocinando formassem, inveni postea in

P. Be-

P. Becano in Summa Theolog. Scholasticæ tract. de tribus virt. Theolog. c. 7. & Tomo. 5. Controvers. in Apolog. contra Gard. & in Manuali. l. 1. c. 5. Atque id ego ex Augustino didiceram, cujus ea est, & habetur. dist. 4. cap. inistis, sententia. *Non licet Judici de legibus judicare, sed secundum ipsas.* Igitur Regula Fidei est Sacra Scriptura, & Apostolica Traditio. Judex Controversiarum Pontifex, & Concilium Generale legitimum, quemadmodum deducitur ex Cajetani doctrina de Primatu Pontificis, & Cano de locis, & Suario in Defensione Fidei, & Cardinali Perronio in Controvers. cum Jacobo Rege Angliæ, & Bellarmino de Romano Pontifice, & Martino Becano libris & locis à me citatis. Ex quibus hic ait: Theologos id omnes confirmare.

Unde sublatâ Analogiâ Thomæ: locus est quæstioni excitatæ. Habueritne Petrus, et habeat Pontifex ejus successor facultatem definiendi res Fidei instar Judicis, quoties de iis controversia inciderit? sitque illius infallabilis Authoritas?

Heterodoxi omnino negant. Thomas Anglus ita concedit, ut palàm videatur dare, occultè verò deneget. Nam non vult uni Personæ tantùm inesse Fidei, ut publicam et solennem fidem faciat; et necessariò exigit concursum et consilium Ecclesiæ. Deinde ne hac quidem initâ Capitis cum membris societate admittit veritatem infallibilem, cum fateatur, etiam Universale Concilium posse errare. Tantùm illud Apostolorum

cum

cum Petro excipit, hoc enim verum, et infallibile esse non inficiatur. Sed remotis Apostolis; si Petrus cum Clero Romano; id est, Ecclesia sua, aliquid de Fide determinaret, significat Thomas Decretum illud non fore de Fide; quia Privilegium illud non erat personale Petri, sed cum Ecclesia sua conjunctum et hærens: cum autem Ecclesia sua ex illo Clero Romano constaret, ac ille neget in illo Concilio Generali aut Provinciali adesse infallibiliter Spiritū Sanctū, sequitur Petrū cum suo Clero Romano destitui certa et infallibili veritate. Quod autem Generalibus ille conciliis deneget Afflatum Spiritus Sancti, et supponat errare posse, nec quicquam licere de Fide definire, et uti credendum proponere, docet Thomas perspicuè Paragr. 21. ubi detorquet sensum loci illius celeberrimi Actorum 7. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*: ne de Assistentia, Spiritus Sancti, *qualem* inquit, *fingunt Theologi*, debeat intelligi. Ex quo apparet Romanā cum Petro Cleri societatem, cum non esset Universale Concilium, multo minus authore Thoma Anglo Authoritatis & Fidei habituram, quam ipsum Concilium: in quo vix ab eo certa & infallibilis authoritas admittitur.

Adversus hanc Sententiam statuo. Fuisse in Petro Authoritatem infallibilem ad docendum & Potestatem ad definiendum, cui error subesse non potuerit. Id autem sic probo. Primùm celebri loco Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* acceptis Patrum expo-

expoſitionibus & inter ſe collatis ac perpenſis. Plures aiunt: Super ipſum *Petrum* Ædificandam Eccleſiam, ita ut *Petrus*, qui & *Petra* Fundamentum à Chriſto, qui Prima, & Principalis *Petra* erat, in qua *Petrus* ipſe niteretur, eſſet inſtitutus. Ita Clemes Romanus in *Epiſt.* ad Jacobum, Anacletus Epiſt. 2. & 3. Hyppolitus in lib. de Conſummat. mundi. Dionyſius in Epiſt. ad Timoth. Tertullianus. lib. de Præſcript. & lib. de Pudicitia. Cyprianus in Epiſt. ad Jubaianum. & in Epiſt. ad Cornelium. Origines Hom. 5. in Exod. Baſilius in c. 2. Iſai. & Homilia 2. de pœnit. lib. 2. contra Eunomium. Nazianzenus orat. de moderat. in diſput. ſervanda. Orat. 26. Epiphanius in Anchorato. Hilarius Canone 16. in Matth. & lib. 6. de Trinit. & Pſalmo 131. Ambroſius lib. de Fide. c. 3. Pſal. 40. & Sermone 6. de Var. actionibus. & Serm. in Cathed. S. *Petri.* & Serm. 11. de Sanctis & in Hymno Laudum Dominicæ. Chryſoſtomus hîc Hom. 55. & Hom. 2. in Pſal. 50. & Hom. 9. de Pœnitentia. Hieronymus Epiſt. ad Marcellam. adverſus Montan. & lib. 1. contra Jovinianum. Dialogo 1. contra Pelagianos. (De Magno Auguſtino ſeorſim dicam) Pacianus Epiſt. 3. ad Sympronianum. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſi 18. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan c. 12. Theophylactus Lucæ 22. & idem & Euthymius cum Chryſoſtomo ſuper locum iſtum Matthæi. Pſellus apud Theodoretum. l. 3. in Cantica. Maximus. Homil. 1. in Natali *Petri.* Proſper. lib. 2. de vocat.

gent. c. 28. Leo Epiſt. ad Epiſcopum Viennenſem, & Epiſt. ad Geminianum. & Serm. 2. de Apoſtolis Petro & Paulo. Gregor. Epiſt. ad Mauritium Auguſtum, et in alia ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum 6. lib. Epiſtol. 37. Iſidorus lib. 2. de Officiis Eccleſiaſt. c. 5. et lib. de vita et mor. Sanctor. c. 69. Petrus Chryſologus Serm. 107. Laurentius Juſtinianus lib. de obedientia c. 12. Concilium Chalcedonenſe totum: et alij apud Caiet. de Primatu. Et Bellarm. et Valent. et Becanum in Controverſ. et Canum. de locis, et Suarium in Defenſione Fidei. Perronem, Echium, Roffenſem, Sanderum, Stapletonum, et cæteros præclaros Novatorum Antagoniſtas. Conſulendus verò eſt gravis Author Gratianus, in ſuo Decreto diſt. 12. 21. 22. et ſequent. et ſummus Theologus et Interpres Maldonatus in caput 16. Matthæi ad iſtum locum.

Hi Patres Perſonæ Petri Sententiam addicunt, ut ea propriè ſignificetur per Petram, et deſignetur. Idque indicat illud *Tibi*: et illud, *Tu Petrus & ſuper hanc Petram*. Nam Hebraicâ Chaldaicâ et Syriacâ lingua, quarum unâ Matthæus ſcripſit Evangelium, utrunque et maſculinum et Fœmininum genus Petra ſignificat: atque adeo uno et eodem nomine Petrus et Petra dicitur. Unde bella agnominatio, et pulcher ex ea ſenſus exiſtit, cum homini Petro; quod eſt proprium Saxi *Petræ* uno eodem que nomine cum virtute reddatur: ut homo in vicem et munus *Petræ* tranſeat. Contra quam Calvinus in-

fulsè

fulsè, et inscitè dixit, cum et agnominationem non viderit, & leporem sustulerit.

Verum quia in *Petra* non nuda persona, sed ejus et virtus, et dignitas, munusque attendebatur, nec solius naturæ humanæ cujus individuum erat *Petrus*, sed Spiritualis etiam & moralis conditionis ratio habenda erat, multi ex his quos citavi Patribus, & aliis, Fidei, & muneri *Petri* illam sententiam accommodarunt: non quod. negarent de *Petro* intelligi; sed quod in eo rationem spiritualem & moralem, ob quam illud est Elogium meritus, quod ad successores quoque pertinere posset, considerarunt. In quo sensu Excelluit Divinum Augustini ingenium, quo nemo rem melius aptiusque expositit, ut mox aperiam. Igitur Hieronymus hic, Hilarius lib. de Trinit. Gregor. Nyssen. lib. contra Judæos. Chrysostomus Homil. 55. in hunc locum. & orat. 2. advers. Judæos. & Homil. 2. in Psal. 50. & Cyrillus Alexandrinus Dialogo 4. de Trinit. Author Comment. in Epist. *Pauli*, id est, Ambrosiaster in cap. 4. ad Galatas *Super hanc Petram*, *Super hanc Fidem* interpretantur. *Fidem* ut ait Chrysostomus *Saxaem*, cujusmodi erat illa *Petri*. Pauci de *Fide omnium Fidelium* exponunt cum Origine Tract. in Matthæum, perinde ac ad Omnes Fideles, ex quibus constat Ecclæsia, pertineret. Quæ interpretatio non tollit aliam, cum omnes hi fermè Authores primum tradiderint sensum, ac de *Petro*, uti individuum humanæ naturæ, & certa Persona est, intellexerint. Quare nec

Hæreticis abutendum hòc ſenſu fuit, ad negandum primum, neque Catholicis quibuſdam timendum, ne iſte detraheret priori, cum uterque poſſit rectè conſiſtere: imo ambo ſint ad veritatem ſententiæ neceſſarij Quod jam ex Auguſtini doctrina aperio.

Igitur Auguſtinus cum ſubtiliter & altè vim hujus loci more ſuo inſpexiſſet, tribus modis illum accepit, & expoſuit. Primùm in perſona *Petri*, ſucceſſorum etiam Perſonas conſideravit: & communem Earum cum Eccleſia ſua Fidem futuram intuitus eſt; & acutè vidit Chriſtum Eccleſiæ ſuæ per *Petrum* ac ſucceſſores providere voluiſſe. Itaque *Fidem Petri* ac poſt eum futurorum ejus loco ac ſede Pontificum, quæ una illa eadem que *Petri* futura erat per *Petram* intellexit. Quippe quæ *Petri* cum eſſet, per petuòerat duratura. Et cohæret maximè cum mente Chriſti, qui de tota tum Eccleſia cogitabat, fundata quidem in Fide Præſenti Petri, ſed ad finem mundi per ſeriem ſuccedentium *Petro* Pontificum continuanda. Eò enim ſpectant reliqua: *Ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Hanc Chriſti mentem cum Auguſtinus attendiſſet de *Fide Petri* aptiſſimè, ut ad omnes ſucceſſores pertinebat, expoſuit. Ac eodem graviſſimæ mentis judicio cenſuit Petrum totam Eccleſiam, cujus Paſtor erat, in ea Confeſſione edenda repræſentaſſe; Cujus Chriſtus fundamentum & Lapis Angularis erat, ad eumque hanc Eccleſiæ Perſonam gerentem Chriſtum

ſtum dixiſſe. *Tu es Petrus*, id eſt, Tu vicem geris Eccleſiæ meæ. Et hanc ego *ſuper hanc Petram*, id eſt, me quem Eccleſiæ nomine confiteris, *ipſam ædificabo*. Ac ejus *tibi Claves dabo*, id eſt, *Poteſtatem*. Quæ ſanè duæ interpretationes propriæ Auguſtini fuerunt: & ad Succeſſionem Pontificum & Eccleſiæ unitatem, & æternitatem confirmandam aptiſſimæ. Sic Auguſtinus Serm. 13. de verbis Domini ſecundum Matthæum, & tract. in Joan. 27. & 124. idem tradit tract. 50. in Joan. Conſentit lib. de Paſtor. c. 13. & Serm. 24. de ſanctis & lib. 3. de Baptiſmo c. 17. & l. 1. contra Epiſt. Parmen. 5. & Epiſt. 152. & in Pſalmo contra partem Donati, & contra Epiſtolam Fundamenti c. 4.

Uti tamen erat Divino ingenio Auguſtinus, vidit aliam item communem et facilem expoſitionem *ſuper hanc Petram*, id eſt, ſuper *te Petrum*, eamque probavit aliis in locis cum Cypriano, et Ambroſio quos magni facere Authores ſolet: nam Cypriani de Petro Petra refert, et admittit l. 2. de Baptiſmo c. 1. Ambroſii affert, et confirmat. l. 1. Retrar. c. 21. cum ſuam de Petra Chriſto ſententiam retuliſſet. Et utramque ibi idoneam judicat. Eandem autem tradit Serm. 16. et 29. et 49. de verbis Domini, et apparet hunc ei ſenſum placuiſſe ex illo verſiculo Hymni contra Partem Donati *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Patri Sede. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt Superba Inferorum Portæ.* Nam qui Sedem Petri Petram dicit, juſtius ipſum dicat Pe-

trum Petram neceſſe eſt. Cum ab eo ſit ſedes *Petræ* appellata. Tres igitur ſenſus ex Auguſtino habemus. Unum communem, proprios duos. Cur autem illo communi non omnino videatur Auguſtinus contentus, cum idoneus ſit, & facilis & promptus, atque adeo literalis vulgò dicatur, & alios duos adjunxerit, quibus aequieſcit, duæ opinor, treſve cauſæ fuerunt. Prima quia vidit illum primum ſenſum eſſe adhuc incompletum, quòd Soli Petro addictus homini privato inhærebat, nec per eum ad Succeſſores & Eccleſiam cujus gerebat perſonam, pertingebat, nec omnino mentem Chriſti totius Eccleſiæ ſeriem ſtatumque reſpicientis adæquabat. Secunda: quia illa interpretatio Perſonale illud Privilegium faciebat, & anſam dabat Hæreticis negandi ad Succeſſores pertinere; quod jam tum Donatiſtæ, nobilrates ſunt Novatores, negãt. Utroſque autem Auguſtinus cõfutavit Tertia, quia vidit Interpretes Matthæi Veteres quos magni æſtimat Auguſtinus, vocabulum *Petrus* in reddenda ſententia *Petræ* non retinuiſſe: atque adeo vocabulum *Petrus* in *Petram* deflexiſſe. Unde aliquid myſterij ineſſe putavit, nimirum ut ex Perſona *Petri* ad figuram Eccleſiæ quam gerebat, cum voce paululum immutata ſenſus deflecteret.

Et quidem haud temere feciſſe Græcum Interpretem, & ita vertendo magnum quiddam ſignificaſſe, ſuadetur, ex eo quod cum Græcè verteret vocabulum πέτρος quod in Autographo ad utrunque genus pertinebat, poſſet, ut eodem modo caderet

ret & *Petram* in Petrum masculina terminatione. Tu es Petrus πετρος & supra hanc Petram πετραν nam Attice Petra πετρα dicitur, noluit nisi variare, & Petram femininâ terminatione reddere. Et quanquam ita Latinus Interpres necessario verterit, quòd ea lingua diverso modo utrunque genus explicet, tamen cum Græcè utrunque eadem ratione Atticâ elegantiâ efferri posset, idque non servasset Interpres, locum fecit conjecturæ Augustini putandi aliquid inesse mysterij in mutatione vocum, quod ad significationem transiret. Quod si quod fuit, illud sanè quod Augustinus observat, credendum est fuisse.

Hinc constat rectè omnino locum istum Matthæi omnium optimè exposuisse Augustinum, & omnes illos sensus ad justam & perfectam intelligentiam Sententiæ necessarios esse. His enim & Petrus, successores, & Ecclesia comprehenditur. Cætera apta ad refutandos eos, qui aut Catholici minus Augustinum intelligunt, aut Heterodoxi, eo pravè intellecto abutuntur, ad meum Hyperaspisten Augustini reservo. Maneat ergo locus ita expositus Facis instar ad doctrinam de Authoritate Papæ Infallibili demonstrandam. Quod jam Præsto.

Christus instituit Petrum Petram & Fundamentum Ecclesiæ suæ propter Fidem, & super hanc Fidelem Petram ædificavit Ecclesiam, igitur non potuit unquam Petrus à Fide deficere: ne in eo fundata Ecclesia erraret. Unde deducitur quicquid

quid ab illo uti credendum proponeretur id omnino firmum certumque foret. Si enim quod Petræ innititur, est immobile, qui Fides innixa Petro nutabit & corruet? An non impium et absurdum esset, cum Christus voluit Fidem Petri remunerare illud rependere, quod locum daret Errori contra Fidem? Certè ineptum illud esset Fidei Præmium, quod Falsitati obnoxium foret: ac ipsam Fidem cui reddebatur destrueret. Quid quod illa Pars sententiæ Et *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Inconcussam & Infallibilem Authoritatem indicant? Nam *Portas* in sacris literis *Potentiam Roburque* significare, cum alij Interpretes alibi, tum hic Maldonatus monstrat. At vis & Potestas *Diaboli* in Mendacio sita est. Cum ipse sit *Mendax* & *Pater Mendacij.* Igitur mendacio tanquam Ariete oppugnat, & quatit Petram Ecclesiæ: quæ veritate, & Fide nixa consistit. Si autem mentiri & errare in rebus ad Fidem spectantibus Petra potuisset, sanè adversus eam Diabolus prævaleret. Absit igitur, ut qui in *veritate non steterit*, stantem in Christo veritate *Petram* evertat. Quod si per *portas* Inferi *Hæreses* significantur, quemadmodum vult Epiphanius in Anchorato, et Euthymius hoc loco, si semel Hæresim Petra admiserit, adversus eam *Portæ* Inferi prævalebunt.

Jam verò alia pars sententiæ, Et *tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, Magnum pondus habet. Nam Clavis duo in literis sacris significat. *Doctrinam* et *Potestatem*. *Doctrinam*. juxta Lucæ phrasin.

phraſin. c. 15. n. 52. *Tuliſtis Clavem ſcientiæ.* Quâ Chriſtus exprobrat Juris peritis ſuperbiam in arroganda ſibi notitia & interpretatione Scripturarum: quam nomine *Clavis* ſignificavit teſte Ambroſio ſermone 8. & Auguſtino l. 2. contr. Adverſarium Legis & Prophetarum. c. 5. & Author. Quæſtion. Evangel. 3. & Beda, & Theophylactus in Comment. & Cyryllus apub Divum Thomam. Hanc ergo Authoritatem doctrinæ, qua intelliguntur & exponuntur Scripturæ, & rerum Divinarum ſcientia traditur, una Clavi contenta *Petro* à Chriſto donatur. In quam bene quadrāt duæ ille voces *ſolvere* & ligare; cum & ſolvere pertineat ad aperiendas veritates, quæ definiuntur, & credi jubentur. Ligare autem ſpectet ad comprimendam audaciam temere interpretari volentium, & vetanda prava dogmata, ſcriptaque hæretica, & Eccleſiæ perniciosa. Quibus duabus rationibus à ſucceſſoribus *Petri* videmus hujuſce Clavis uſum exerceri. Tum decernendo, quod tenendum ſit, & exponendo ſolutis nodis difficultatum: tum cavendo ne id temere fiat, & ſi quid erroris hæreſisve prodeat, damnando, & vitando ne ſerpat, temeritate ligata, & doctrina prohibitâ. Alia Clavis Poteſtatis ad Jurisdictionem pertinet, quæ non eſt hujus loci. Quod ſi à Chriſto Clavem Doctrinæ *Petrus* accepit ad ſolvendum atque. ligandum: quantus error eſſet admittere Petrum errare in recto Clavium uſu, ligando quod erat ſolvendum, & ſolvendo quod ligandum. Quod ſi

quis non vereatur admittere, videat se Evangelio contradicere, imo & Christo in eo affirmanti *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Ubi universim dixit. Quodcunque *ligatur* & *solvetur*: significans. *Omnia* per eam Clavim rectè *ligari*, & *solvi*: atque adeo omnia in Cœlis esse rata, & accepta. Non enim dixit Christus *siquid bene ligatum, solutumve fuerit.* Sed *quodcunque ligetur, & solvatur.* Voluit quippe significare certam & Infallibilem illam *Petri* Clavem & esse & fore: nec unquam errare posse, quoniam à Christo summa veritate erat & instituta & donata.

Alter locus hujusmodi Authoritatis confirmandæ est apud Lucam cap. 22. n. 32. *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat Fides tua. Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Duo hîc sunt: *Christum rogasse, ut Petri Fides non deficeret*, & *Petrum exhortari ut Fratres suos in Fide confirmet.* Constat autem quod Christus rogavit, id obtinuisse. Et ad quod hortatus est, *Petrum* facere, id *Petrum* omnino præstare potuisse. Rogavit autem Christus, ut *Petri Fides nunquam deficeret*, nunquam igitur defecit. Hortatus est *Petrum* ut *cæteros in Fide confirmaret*, ergo habuit talem Fidem qua eos confirmare posset. Unde sequitur in rebus Fidei Authoritatem certam eum, constantemque habuisse. Locutum autem Christum de *Petro* Pontificis Romani & Pastoris Universæ Catholicæ Ecclesiæ per-

perſonam gerente liquet ex textu. Nam pro omnibus Apoſtolis Chriſtus aliàs oravit Joannis 17. *Ego pro eis rogo.* *Pater Sancte ſerva eos.* Inter quos erat Petrus. Pro quo tanquam pro uno ex Apoſtolis rogavit. Nunc verò aliter pro Petro orat, non tanquam pro uno & privato, ſed tanquam pro Capite & Principe Eccleſiæ, atque adeo Publicam ſuſtinente perſonam. Idcirco ad eum intentius, *Simon, Simon,* proprio appellans nomine, ne quis putaret, quòd illum communi omnium cauſâ eo Privilegio donabat, ad eum propriè non pertinere. Utrique igitur & privatæ, & publicæ Perſonæ convenire illud ſignificat quod mox ait. *Expetivit vos ut cribraret*: ceu in Petro omnes ineſſent, cum eo tanquam cum pluribus loquitur *Vos*: cum tamen dixiſſet ad unum, *Simon.* Sed hic unus omnium inſtar erat, quòd Caput & Paſtor futurus erat: Itaque illi, ac in illo omnibus illa firmitas concedebatur. Qui ſenſus ſuadetur altera parte ſententiæ: *Confirma Fratres tuos*, qui in Apoſtolos non quadrat, qui cum defecturi non eſſent, eos non erat *Petrus* confirmaturus. Nam ij à Chriſto oratione illa jam tum ſervati, & à Spiritu ſancto poſtea confirmandi erant. Illud autem magnoperè obſervandum: prius Chriſtum oraſſe ne *Petrus* deficeret: deinde poteſtatem confirmandi cæteros dediſſe: nec enim confirmare poſſet, ſi poſſet deficere. Unde Firma, & infallibilis conſtat Authoritas. Et vero hunc locum ipſimet Romani Pontifices *Petri* ſucceſſores magnum ſuæ in Eccleſia Authoritatis ârgumen-

gumentum habuerunt: quo unanimi conſenſu utuntur: Lucius Papa Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ circa finem. Marcus Papa. Epiſt. ad Athanas. Tom. Epiſt. p. 1. Felix. 1. *Epiſt.* 3. ad. Benignum. Agatho Epiſt. ad Conſtant. Imperat. in ſexta Synodo lectâ & probata. Nicoolaus. 1. Epiſt. ad MICHAELEM Imperat. Leo 1. Serm. 2. de Natali *Petri* & *Pauli.* & Serm. 3. de Aſſumptione ſua. Leo 1x. Epiſt. ad Michaelem cap. 7. Innocentius 111. in c. Majores de Baptiſmo. neque Pontifices duntaxat, quorum ut in Cauſa propria elevare quis Heterodoxorum teſtimonia conetur, ſed alij etiam priſci Authores in hanc mentem locum expoſuerunt: quos videre quis poterit apud alios Recentioris memoriæ Caietanum lib. de Authorit. Papæ. & de Romanæ Eccleſiæ Primatu. Turrecrematam. in ſumma Eccleſiaſt. Bellarminum de Poteſt. Papæ. Canum de locis lib. 6. c. 3. Becanum Valentiam in controverſiis. Suarium in Defens. Fidei contra Reg. Angl. l. 1. Qua de re gravis Author Joannes Maldonatus Comment. in Lucam. c. 22. n. 32. Itaque ait *rectè ex hoc loco antiqui, graveſque Authores collegerunt Eccleſiæ Romanæ, & ſucceſſorum in ea Petri, fidem fore perpetuam.*

Ex omnibus unum Theophylactum & Pontifices duos volo teſtes producere. Ita Theophyl. *Planus intellectus eſt, quia te habeo ut Principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleveris & ad pœnitentiam veneris confirma cæteros. Hoc enim te decet qui*

poſt

poſt me Eccleſiæ Petra es, & fundamentum. Agatho ſic. *Dominus fidem* Petri *non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos* Pontifices *meæ exignitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt agnitum.* Nec non Leo Nonus, *A ſede* Principis *Apoſtolorum, à Romana videlicet* Eccleſia *tam per eundem* Petrum, *quàm per ſuos ſucceſſores reprobata, convicta & expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta: & fratrum corda in fide* Petri *quæ hactenus non defecit, neque unquam deficiet, ſunt confirmata.* Hæc nemo ſolidius ac elegantius Leone 1. dixit Serm. 2. de Natali Apoſtol. *Petri & Pauli*, quem quia citant plurimi, non adduco. Apud Suarium, & Maldonatum legat qui volet.

Duo hîc quæri poſſunt. Primùm quomodo poſt hanc Chriſti Orationem negavit *Petrus* Chriſtum? atque adeo defeciſſe videtur à Fide? Alterum quomodo intelligitur illa particula *Converſus*, & quâ ratione ad confirmandos fratres pertineat? Primo reſpondetur primùm. Chriſtum non expreſſiſſe tempus pro quo rogaverat, ſed in quo rogaverat. Dixit *Oravi* de præterito, ut oraſſe jam conſtaret. Sed pro quo tempore rogaſſet, cum illud futurum eſſet, non dixit. Unde cum oratio eſſet de re futura non conſtat, rem ſtatim poſt orationem fuiſſe ſecutam. Videtur autem Chriſti oratio effectum habere cœpiſſe ab eo tempore, quo Chriſtus in Paſſione reſpexit *Petrum*, ac convertit ad Pœnitentiam. *Et egreſſus Petrus foras flevit.*

flevit amarè. Nam ex illo deinceps nunquam defecit. Et quidem Chriſto adhuc vivo cum adhuc *Petrus* privatus eſſet, & tantùm Princeps & Paſtor deſignatus ante poſſeſſionem, mirum non eſt eum poſſe deficere; ſed Chriſto mortuo, & *Petro* poſt Reſurrectionem Paſtore ab eo inſtituto, & Eccleſiæ datâ ovium poſſeſſione Præpoſito, & vices Chriſti gerente, Chriſti oratio effectum ſortiri cœpit ſuum, & Fides per eam impetrata re obtineri. Obſervandum eſt enim Chriſtum antea Matth. 16. promiſiſſe *Petro* de futuro Eccleſiæ Primatum, uti verba indicant quæ ſunt in futuro. *Ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claves. Erunt ligata*, ceu deſignaret Principem, non crearet. At verò poſt Reſurrectionem ſuam Chriſtus, quod promiſerat, implevit, traditis *Petro* ovibus ſuis, eoque Principe creato & confirmato, *Paſce oves meas*: ter ad firmitatem poſſeſſionis repetito. Itaque ex quo *Petrus* Publicam geſſit Paſtoris Eccleſiæ Perſonâ, donum illud Firmitatis ad omnes alios dirigendos & corroborandos in Fide accepit. In quam ſententiam rectè Auguſtinus in loc. Joan. *Hunc invenit exitum ille negator, & amator, præſumendo elatus, negando proſtratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfectâ dilectione moreretur, cum quo ſe moriturum perverſa feſtinatione promiſerat, faciat ejus Reſurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, ut prius Chriſtus pro Petri ſalute, deinde Petrus pro*

Chriſti

Christi prædicatione moreretur. Præpostèrum fuit, quod audere cæperat humana temeritas; cum istum disposuisset ordinem veritas. Animam suam se positurus pro Christo Petrus putabat, pro liberatore liberandus, cum Christus venisset animam suam positurus pro suis ovibus in quibus erat & Petrus. Igitur

Petro illud *Firmitatis & Autoritatis* credendo & confirmando orationis Christi virtute Privilegium ante ipsius Christi mortem donatum non est, quod nimirum adhuc in ovium grege, uti unus è grege privatus erat; Post Resurrectionem verò Christi, cum Petrus acceptâ in Oves potestate & vir gregis, & Pastor institutus, & Publicam agebat Personam, eo donatus est munere, quod ad dignitatem pertinebat. Itaque firmus, & Author cæpit esse ex quo Princeps, & Pastor esse cæpit. Idem Augustinus. *Si dilectionem tuam erga me habes; ubi ostendas habes, ubi exerceas habes, Pasce agnos meos.* Et mox jam ex Ove in Pastorem transit, & vicarium Christi agit, quando idem agit quod Christus, id est, & patiendo, & moriendo pro Ovibus. Nam id circo infra n. 18. Christus *Petro* mortem portendit. *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis.*

Pergit Augustinus. *Quatenus pascendi essent agni & dominicæ oves tanto pretio comparatæ, quanta essent dilectione pascendæ, in consequentibus demonstrat. Postquam enim Petrus implato legitimo numero trinæ responsionis professus est se Domini dilectorem, commendatis sibi ovibus ejus audit de futura Passione.* Hæc

prima

prima eſto reſponſio admiſſo quòd *Petrus* à Fide negando defecerit, non quòd affirmem, ſed quòd ſi quis affirmet, videat ſe nihil inde poſſe concludere.

Secundùm reſpondetur *Petrum*, etſi negaverit Chriſtum, non tamen à Fide defeciſſe, cum ore tenus duntaxat negaverit, corde retinuerit: quæ communis Patrum & Scholaſticorum ſententia eſt, quemadmodum Interpretes Evangeliorum obſervant; & ſcitè ſcripſit Prudentius, in lib. Cathemer.

Flevit negator denique
Ex ore prolapſum nefas.
Cum mens maneret innocens
Animuſque ſervaret fidem.

Imo & ſunt graviſſimi Eccleſiæ Patres, qui *Petrum* crimine negationis abſolvunt, aiuntque ſpecie tantùm negaſſe, re autem confeſſum: imo & ideo negaſſe hominem, ut Deum eſſe doceret: uti refert Hieronymus in cap. Matth. 26. notans Hilarium & Ambroſium ità ſentientes; quorum meritò improbat ſententiam. Id conſtat *Petrum* negantem metûs causâ ac privatum feciſſe, atque adeo à Fide nec defeciſſe, nec quicquàm promiſſionis Chriſti firmitati negando detraxiſſe.

Sublatâ

Sùblatâ hujuſmodi difficultate, Secunda ſupereſt, Cur Chriſtus & quâ ratione dixerit: Converſum eum Fratres ſuos confirmaturum. Senſus ex dictis conſtat. Nimirum ab eo tempore veritatem promiſſionis incipere, quo *Petrus* poſt negationem reſipiſceret: ſeque denuò ad Chriſtum flendo primùm, deinde amando converteret. Tum enim ſatisfactione repræſentatâ,& acceptâ gregis poſſeſſione eo privilegio eſt donatus. Sic Euthymius hîc,& Theophylactus,et Ambroſius in Pſalmum 43. & Leo 1. Serm. 2. in Natali *Petri* & *Pauli*,& Serm. 3. de Aſſumpt. ſua. Nec id ego temerè opinor, obſervo. Hanc particulam *converſus* magno Evangeliſtis in *Petri* ad Chriſtum, & Chriſti ad *Petrum* converſione uſui fuiſſe. Nam poſt negationem *Petri* ait Lucas. *Converſus Dominus reſpexit Petrum* & c. 22. *Tu aliquando converſus*, & Joannes c. ultimo. *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum.* Ex qua analogia deduco, ipſam vocem ſibi ad hoc privilegium ſignificandum reſponderę: ita ut *converſus Petrus* ad Jeſum *converſum* reſpiciat: à quo ſanè erat per Gratiam convertendus,& ad confirmandos Fratres formandus: ut cum poſtea apud *Joannem* illam acciperet poteſtatem *converſus* diceretur: ceu monere nos Evangeliſta vellet iſtâ repetitione vocis connexionem privilegii conceſſi cum ejuſdem promiſſione ſignificari. Ita *Petrus*, cui promittitur, dicitur *Converſus*: idem cui traditur *Converſus* item dicitur. Ut repetentes vocabulum rem quoque

memoria repetamus: qui *Converſus* poteſtatem accipit, ei cum *Converſus* fore prædicitur, promiſſam fuiſſe. Nec id ſuâ conjectura juſtâque deſtituitur. Nam iſtud *Converſus* apud Joannem, videtur pertinere ad Officium Paſtoris, quod tunc à Chriſto Petrus acceperat. *Paſce oves meas.* Quo accepto cum Chriſtus ſequi ſe PETRUM juberet, & *Petrum* ſequentem JOANNES ſequeretur: *Petrus* ceu Paſtor de Joanne tanquam de ove ſollicitus reſpexit ad Joannem: & reſpiciens ab Evangelio *Converſus* dicitur. Perinde ac tempus deſtinatum à Chriſto ad promiſſionis effectum declarandum illâ voce *Converſus* indicaretur. Nam illud *Aliquando Converſus*, huic actioni convertentis ſe ad Joannem *Petri* reſpondebat, de quo dicitur *Converſus Petrus* ex officio Paſtoris.

Cui Officio erat annexum Privilegium Confirmandi in Fide oves, quas Joannes ſignificabat. Et quanquam diverſa videatur vocis ſignificatio apud Joannem cum ita *Converſionem animi* ad Deum: hic *Converſionem* vultus ad Joannem indicet, nil tamen obſtat quo minus etſi diverſa notio ſit, ad idem tamen myſterium pertineat: cum præſertim apud Lucam illa vox *Converſus* aliàs habeat ſignificationes, uti obſervant Interpretes: quarum una hæc poteſt eſſe *Converſi Petri* ad Joannem, cùm ea curam & ſolicitudinem Poteſtatis *Petro* concedendæ cum eſt *Converſus* ad Joannem impleta ſit. Vereor ut hæc non tam ſubtilia quam futilia videantur: ſed video non paucis illa probari, & aliquando Auguſtino,

Auguſtino, Hieronymo, & Ambroſio, & Chryſologo qui Antithetis & Analogiis ſæpè delectantur, ſimilia placuiſſe.

3. Tertius locus hinc eſt quem modo attigimus, & ſæpe antea Joannis ultimo. *Paſce Agnos meos. Paſce Oves meas.* Qui illuſtris eſt, & maximè celebratus. His enim verbis Chriſtus præſtitit, quod promiſerat Petro, paſtorem eum gregis ſui & caput Eccleſiæ inſtituens, quem antea deſignaverat: quemadmodum ſcribit Joannes Maldonatus, ac eſt communis ſententia. Quod autem hic locus primatum Petri probet, & confirmet, cùm noſtræ de Authoritate certa, ac infallibilis mētis fundamentū ſit, operæ pretium erit oſtendere. Ac primùm *Paſcere* perinde eſſe ac regere, gubernare & paſtoris inſtar dirigere, ſuadetur ex Pſalmo 79. *Qui regis Iſrael intende*, ubi Hebraicè eſt נהג qui *Paſcis*. Unde Pſal. 77. *Paſcere Jacob ſervum ſuum*. Quare Matth. 2. Quod Latinus Interpres habet: *Exiet Dux qui regat* Græcus reddidit ποιμανῶ *Paſcet*, cum in Hebræo ſit ירעה *dominetur*. Accedit locus 2. Reg. 5. *Tu Paſces populum meum Iſrael*. Qui ſenſus à ſacris ad profanos quoque Authores tranſiit. Nam ſolet Homerus Reges ποιμένας paſtores populorum appellare. Hac ratione apud Joannem *Paſcere* Oves id eſt, *regere*. Sedulò, & amanter paſtoris more. Petrus igitur, cùm paſtor, idem et princeps eſt inſtitutus. Ita ſentit Ambroſius Serm. 48. de Temp. & Serm. 1. de Sanctis, ſeu de Cathedra Petri, & lib. 1. in Luc. c. 24. & lib. 5. de Fide. in Præm. & lib. de

Dignit. Sacerdot. c. 2. & Cyprianus de Unitate Eccleſiæ circa princip. Euſebius Emiſſenus Serm. de ſancto Joanne Evangeliſta. Auguſtinus Ira. & Serm. 62. 49. de verb. Domini. Beda Homil. in vigilia Apoſtolorum Petri et Pauli. Chryſoſtomus Homil. 87. in Joan. Cyrillus lib. 11. in Joannem. Leo Papa 1. Serm. 3. Aſſumptionis ſuæ. Ambroſiaſter 2. ad Corinth. 12. et Galat. 1. et 2. Iſidorus de vita et morte Sactorum c. 69. Euthymius hoc loco Joan. Bernardus lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium. cap. 8. Gregorius Magnus lib. Epiſtol. Epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum. Arnobius in Pſal. 138. Eucherius in Vigilia Sancti Petri. *Qui omnes* locum intelligunt de ſumma Petri in totam Eccleſiã pteſtate, quæ et docẽdo cum Authoritate, et regendo cum imperio exercetur. Omnes autem erudiẽdos, & Gubernãdos eſſe à Petro, tum Infirmos tum fortes, tum ſubditos, tum præpoſitos, Chriſtus ſignificavit diſtinguens Gregem in *Agnos*, & *Oves*, *Paſce Agnos meos*, *Paſce Oves meas*, ut neminem vellet exceptum. Id cum Theophylactus, & Rupertus obſcuriùs jeciſſent Clariſſimè dixit Emiſenus. *Prius Agnos, deinde Oves commiſit: quia non ſolum Paſtorẽ, ſed Paſtorũ Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus Agnos: paſcit & Oves: Paſcit Filios, paſcit & Matres. Regit & ſubditos, & prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter Agnos & Oves in Eccleſia nihil eſt.*

Eadem eſt mens aliorum Patrum, licèt non eâ quæ acutior eſt, quam ſolidior, conjecturâ nixa.

Quan-

Quanquam eam Ambroſus item reſpexerit lib. 10. in Lucam. c. 24. in fine. *Jam non Agnos ut primò, nec Ovibus ut ſecundo, ſed Oves paſcere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Rectè igitur Bernardus. lib. 2. de Conſiderat. c. 8. *Non modo Ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcrete, totæ commiſſæ ſunt Oves? Si me amas Petre paſce Oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi Regni? Oves meas inquit. Cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes. Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipulis erant, cum committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege, & uno Paſtore ſecundum illud: Una eſt Columba mea. Ubi unitas ibi perfectio.* Et pulchrè Cyprianus. lib. de Unit. Eccleſiæ circa princip. *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, Quia tu es Petrus, &c. Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit; paſce Oves meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat Oves ſuas, & quanvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem potestatem tribuat, & dicat, ſicut miſit me Pater, &c. Et quorum remiſeritis peccata, &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ autoritate diſpoſuit.* Et infra *Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* Explicavit quæ eſſet *par illa poteſtas* omnibus Apoſtolis data, id

est, *pascendi* & Regendi Oves in Ecclesia, sed ita, ut inter eos Petrus tanquam Caput & Princeps emineret, & illi has oves cum haberent, quarum essent Pastores, Petri tamen Oves haberentur: ut *Unum esset Ovile & unus Pastor*, & Ecclesia unitatem sub uno Capite & Pastore haberet. Hac ratione Petrum *verticem Coetus Apostolici* Chrysostomus Homil. in Joannem 87. appellavit. Claudat hoc agmen Patrum Augustinus Tract. 123. in Joannem. *Nec aliud toties audit à Petro, quam se diligi: nec aliud toties commendat Petro, quam Oves suas pasci.* Et ad eum quo semper respicit successores, & Ecclesiam sensum Serm. 49. de verbis Domini *Dicit Dominus Petro in quo uno format Ecclesiam: Petre amas me? Respondet, Amo: Pasce Oves meas*, quo maxime cum Cypriano consentit.

Probari autem ex hoc loco Doctrinam Petri esse certam, & Authoritatem Infallibilem apparet. Ad id enim institutus est Pastor, ut Oves dirigat, & servet & pascat, quæ omnia spectant ad doctrinam cujus est dirigere, ne errent: servare à lupis ne discerpantur: pascere in optimis pascuis, ne pereant. Si autem Pastor erret, & in devia & abrupta vadat, Oves sane secum ducet, & in præceps dabit. Si ad Lupos deficiat, iis dilaniandas Oves tradet. Si in noxia inducat pascua, & venenatis herbis pascat, prorsus interibunt. Brevi de Grege actum erit. Quare Divinitus fuit cautus ille Pastor Christus, se Optimum describens Pastorem, & Ideam Pastorum, quos informabat, cuncta est describendo

scribendo complexus. Joannis 9. Nam primum *Ostium* se constituit. *Ego sum Ostium*, ne Grex ab Ostio aberraret, ac per Christum ad optima & salubria pascua intraret. *Per me si quis introierit salvabitur, & pascua inveniet*, non præcipitia. Unde Patres Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus *Ostium* Scripturam sacram intelligunt rectè ac ex Fide Ovibus expositam: quam *Ostiarius* Spiritus Sanctus, iisdem authoribus, vel ipsemet, Christus Authore Ruperto, aperit, & interpretatur per Doctores Sacros, idoneos, ritè institutos, ac missos: uti notant hoc loco Cyrillus, Augustinus, & Beda, & Theophylactus. Nec satis id est; *Educit eas: & cum emiserit ante eas vadit*, ne quà deerrent, *Oves eum sequuntur, & vocem ejus audiunt*. Tanta est in docendo & ducendo cura. Deinde *Fures & Latrones* amovet Christus studio servandi Gregis: ne in Lupos, qui nulli sunt pravis Magistris sæviores incidant, à quibus discerpantur & perdantur. Hos enim Pseudophetas, et Hæreticos esse *Omnium* sententia *Interpretum* est. Hi enim missi non sunt ab Pastore summo, nec ab ejus in terris Vicario, et *aliunde veniunt* extra Ecclesiam Romanam, quæ una et sponsa est, in qua una auditur vox sponsi, atque adeo non intrant ad docendum per *Ostium* commune, sed aliunde proprio ducti spiritu imo et pruritu ascendunt instar Latronum, atrociorum Lupis ad *Oves* in Caulis Ecclesiæ Romanæ Catholicæ abducendas, et seducendas. Cujusmodi fuerunt Lutherus, et Calvinus insignes Fures Latronesq;

tronesque vestimentis Ovium induti ad eas decipiendas vocem Christi simulantes, manus autem Esau, imo et ungues Leonum dentesque luporum tegentes, ut simplicem JESU Gregem ad se illâ honestæ specie traherent, et tractum, traductumque discerperent.

Tandem pascua idonea et salubria Christus præparavit, ad pascendas Oves: à quibus mors exularet, et in quibus vita inhabitaret, *Ut pascendo vitam habeant.* Nimirum gratiam per Fidem animatam formatamque operibus partam, uti Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Cyrillus, Augustinus, et Beda exponunt, in quæ ingressi pascua, in alia Gloriæ egrediantur: quod aiunt Gregorius Homil. in Evangel. 14. et Rupertus hoc loco. Hæc autem munia commendata sunt Petro, cum Pastor est institutus, ejusque sunt vicariis commissa, quibus dicitur *Pasce Oves meas.* Hac ratione *Tanquam bonus Pastor*, inquit Ambrosius, Serm. 1. de sanctis, seu de Cathedra Petri, *tuendum gregem accepit, ut qui sibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* Non posset autem Petrus tueri et servare, si errare, regereque se non posset. Itaque habuit, et certam in Fide tuenda constantiam, et infallibilem in tradenda authoritatem. Firmare autem placet quæ hactenus tradidi egregiâ Leonis 1. Papæ sententiâ Serm. 3. Assumptionis suæ. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi & omnibus Apostolis, cunctis que Eccle-*

siæ

ſic Patribus præponatur, quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, Omnes tamen PROPRIE REGIT PETRUS, quos PRINCIPALITER REGIT ET CHRISTUS. Cui hæret altera Ambroſij lib. 10. in Lucam c. 24. in fine. *Dominus elevandus in Cœlum, Petrum Amoris ſui nobis, Amoris ſui reliquit. Vicarium relinquebat; ſic enim habes: Simon Joannis diligis me? utique Tu ſcis Domine, quia amote. Dicit ei JESUS: Paſce Agnos meos.* Qui vicarium Amoris relinquebat, is certè Fidei vicarium reliquerat. Et cujus Amor non refrixit, Ejus profectò Fides non defecit.

Eadem veritas aliis teſtimoniis confirmatur.

A Reſurrectione Domini Petrus cum Primatus dignitate Authoritatis ſuæ munus exercuit. Nam 1. Actorum capite, eligendi in locum Judæ alterius Apoſtoli Author fuit, ceu ad eum cura illius Senatûs pertineret: ac unus eam rem cæteris in Concilio propoſuit: & Scripturæ locum

ceu Doctor adduxit. Cap. 2. Prædicandi provinciam primus ac solus suscepit: & Auditores ad Fidem Baptismumque hortatus est. Cap. 3. Claudum illum stantem pro Speciosa portâ sanavit, & rectis jam insistentem vestigiis ad viam salutis perduxit: documento, officij sui esse, eos qui in Fidei tramite claudicarent, à se & corrigendos, & confirmandos. Cap. 4. Coram Pontifice & Senioribus Judæorum, rationem reddit miraculi & Christi Resurrectionem, & Divinitatem deprædicat, & Ecclesiæ Authorem, & fundamentum vocat: mirantibus cæteris fructum ex Petri concionibus, & operibus consecutum. Cap. 5. Quoniam Potestas Petri summa erat, & æqualis Authoritas, atque ad supremum Doctorem & principem spectat & docere, quæ facienda sunt, & secus facta punire, ac legem statuere & vindicare ejusdem est Potestatis, Ananiam & Sapphyram violati voti Reos morte mulctavit: & eodem capite, umbra suâ ægrotos sanavit. Quòd non vacat mysterio; solus enim Petrus ex omnibus Apostolis umbrâ patravit miracula. Nempe quòd umbram Christi figuramque gerebat: cumque umbra in eo multum adderet dignitatis Personæ, ejusque ratione Vicarius Christi, & Princeps Ecclesiæ esset, æquum erat, ut quod aliis per propriam patrabant personam *Petrus* per umbram operaretur. Cum præsertim uti observat Chrysostomus: Umbrante unum *Petro* reliqui omnes in platea stantes sanarentur: atque id verba textus significant: *Ita ut in plateas ejicerent infirmos.*

infirmos & ponerent in Lectulis & grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & sanarentur omnes. Ubi duo observanda sunt. Alterum unius *Petri* umbram ad omnes pertinere. Alterum uno obumbrato sanari omnes, etsi ad eos umbra non pertingeret. Primo enim indicatur *Petrum*, uti umbra est Christi, universalem Pastorem esse; quod non habet ratione Personæ, sed figuræ. Secundo quicquid circa rem unam decernit *Petrus* ad universorum Fidem pertinere. Itaque quod unius occasione personæ à Pontifice definitur, id non ille solus ad quem propriè definitio spectat, sed omnes alii credere tenentur.

Cap. 8. cum *Simon Magus* Spiritus Sancti Donum pecuniâ emere vellet, & simoniam in Ecclesiam conaretur inducere obviam nefario conatui Petrus iit, quòd ad illud malum, quod Sacræ Reipublicæ maxime infestum est avertendum Summi Pontificis adhibenda esset Authoritas: nam cujus erat Ecclesiam gubernare, ad eum sanè spectabat, tam præsens ab ea periculum propulsare. Pertinebat autem ad Pontificiam doctrinam, quantum illud Peccatum foret illustri documento declarare. Jam verò quæ c. 9. de Curato Æneâ, & suscitata à mortuis Tabitha narrantur, magnum pondus habent ad confirmandam Petro ad faciendam supremæ suæ Authoritati fidem Patrandi miracula potestatem factam. Præterea cum futuri essent Hæretici, qui solâ *Fide* contenti, bona

opera neceſſaria ad ſalutem æternam eſſe negarent, ad *Petrum* attinebat, eos Tabithâ ob inſignem in Pauperes miſericordiam, charitatemque à mortuis revocatâ, docere *Fidem ſine operibus mortuam eſſe*, quando operibus cum Fide conjunctis vita reddebatur.

Quid? quòd capitis X. Hiſtoria Cornelij Centurionis tota hujuſce Authoritatis documentum eſt? Nam ſolus *Petrus* ex omnibus ad primam illam Gentilium converſionem, quæ pignus erat vocationis Gentium authore Cœlo miniſter deligitur; & cum ad illud via & porta ſolis Judæis aperta eſſet, clavem alteram *Petrus* adhibuit, quæ illam Gentibus aperiret: ut utriuſque Populi ad Chriſtianam Fidem vocatio à *Petro* initium acciperet. Cumque *Paulus* à Spiritu Sancto, hominum tamen operâ ad illud miniſterium cum Barnaba Actor. 13. ſegregatus eſſet, *Petrus* à Deo per Angelum deſtinatus eſt: quod *Paulus* ſuperiorem haberet in terris, *Petrus* non haberet. Ecquid autè majorem tunc Authoritatem exigebat, quàm ſalutis Chriſtianæ myſteria Gentibus patefacere & impartire? Itaque primus ille ſcivit Deum non eſſe Perſonarum acceptorem, & Gratiæ legem omnibus novit eſſe Gentibus communem: Et Chriſto ad Chananæam teſtante *ſe non eſſe miſſum niſi ad Oves quæ perierunt de domo Iſrael*: *Petrus* ab eodem Angeli ore mittitur, ad Oves Gentium, ut eas in unum Ovile cum cæteris congregaret: ita Authore *Petro* completum eſt illud Chriſti vaticinium. *Fiat unum Ovile.*

Ovile, & unus Pastor. Sanè decuit ut ab ipso Apice ac vertice Authoritatis ac Potestatis *Petro* & Spiritus Sancti effusio, & Baptismi lustralis aspersio in Gentes fieret. Quemadmodum ex eodem capite constat, ut res tanta, tamque mirabilis, ac præ novitate insolens, summâ *Petri* Authoritate firmaretur: necà quoquam improbâri infringive posset, quod à Capite & Principe Ecclesiæ gerebatur. Clarius adhuc multò & illustrius testimonium redditur cap. 11. ubi Judæis cum *Petro* expostulantibus, quòd prophanas gentes ad Communionem Ecclesiæ admisisset: ipse satisfacit exponens objectam sibi lintei è Cœlo delapsi speciem, quod à quatuor plagis, totidem angulis suspensum, ad se demittebatur bestiis, & volucribus refertum: voce intonante ac invitante *Surge Petre, occide, & manduca.* Cujus cum significationem aperiret, docuit Gentes in Ecclesiæ gremium invitandas ac recipiendas esse: id que toto Cœlo attestante confirmari. Itaque *Petrus* Author primus extitit tantæ rei, quâ nulla majori tum contentione agitata: nec minus tum à Judæis expectata, gravi deinceps & iniquo animo, à vulgo illorum hominum recepta. Hanc tamen Authoritate suâ *Petrus* emollivit, & firmavit; ut quanquam postea *Paulo* ministerium fuerit prædicandi Gentibus commendatum, Auspicia tamen, & initia à Petro ducerentur.

Nobile item est hujusce veritatis argumentum oratio illa *Ecclesiæ* c. XII. pro *Petro* in Carcere detento.

detento ab omnibus in ea contentis fidelibus facta. Nam cum Jacobus tantus Apostolus & vinctus antea esset, & afflictus & postea jugulatus, non legimus Ecclesiam communes pro eo preces suscepisse; Silentio transacta sunt illa, & tanquam privata illa immanitas esset, minus se Resp. Christiana cõmovit. At ubi eo mortuo in *Petrum* injectæ sunt manus, & ille in Carcerem conjectus, ceu cum illo tota periclitaretur Ecclesia, conjunctis animis, & vocibus Deum pro illius, tanquam pro communi salute rogarunt, nec destiterunt, donec ille Angeli ope & operâ liber evasit, & universam Christianam Remp. metu & solicitudine liberavit. Ex quo inter utrunque Apostolum discrimine patet, quantum inter privatos Doctores & Episcopos ac Petrum interesset: & quantum momenti ad Ecclesiam commovendam habitura esset authoritas, pro cujus liberatione universa orabat.

Cap. 15. in quo primùm Concilij forma ratioque proponitur, obtinet *Petrus* primas Authoritatis & dignitatis. Propositâ enim controversiâ de necessitate Circumcisionis, *Cum magna conquisitio fieret, Surgens Petrus dixit ad eos* Sententiam tanta vi & pondere verborum, ut quid agendum esset prorsus definiret. Cui Barnabas & *Paulus* assenserunt, & *Jacobus* proprius illius sedis Episcopus adhæsit. Et quanquam hic pluribus sententiam suam dixerit: non ea tamen prærogativâ qua *Petrus* dixit. Nam *Petrus* primus surrexit, judicavit, definivit: Authoritate propriâ, perspicuè

&

& absolutè, & Gratiæ necessitatem, vimque, & excellentiam expressit, & commendavit. *Jacobus* autem tantùm respondit, & dixit, *Ego judico*, ceu privatum calculum adderet, & quod *Petrus* statuerat, judicio suo sequeretur. Itaque neque surrexit, quod dignitatis est, nec absolutè definiit, quod est Authoritatis.

Sunt alia locorum momenta. Nam Epistolâ ad Galat. 1. *Paulus* cum à Christo vocatus, & in Cœlo edoctus esset, Jerosolymam postea veniens ad *Petrum* adivit, & apud eum mansit diebus quindecim: nec ad *Jacobum* tunc, etsi Hierosolymitanus esset Episcopus, divertit. Sed ad *Petrum* quasi caput, & Principem se contulit: quo sanè significavit ejus & Primatum & Authoritatem: nam etsi post annos quatuordecim eòdem rediens non cum *Petro* solum, sed etiam cum *Jacobo* aliisque *Evangelium contulisset*, & initâ cum iis societate ministerium prædicandi Gentibus accepisset, non obstat quominus *Petrum* Principem Caputque agnovisset. Prius enim eum quæsierat, eumque eo dies quindecim habitarat; & quod nexum est, de Fide, ac Evangelio multis egerat, non quòd ejus aut doctrina, aut approbatione indigeret, sed ut illius dignitati, & Authoritati testimonium redderet. Quod cum semel præstitisset, alio opus non erat, ut infra experiemur.

Et quidem plures ex Patribus hoc loco Petri primatum agnoscunt & firmant. Ambrosius Theodoretus, Œcumen. & alii, quod cum confirman-

dum

dum utuntur Hieronym. Epiſt. ad Auguſt. 11. & Chryſoſtom. Hom. 87. in Joan. Græcos do: quòd nemo ſuſpectos dicet. Chryſoſtomus. *Os erat Apoſtolorum & Princeps: propterea & Paulus eum præter cæteros viſurus aſcendit.* Theodoretus. *Etenim cum humanâ doctrina non indigeret, Apoſtolorum Principi, quem pareſt honorem detulit.* Oecumenius. *Ut videret Petrum tanquam majorem, ut maneret, cauſâ honoris, quem Petro deferebat factum eſt.*

Deinde obſervo Petrum in ſua Epiſtola Apoſtolum ſe JESU Chriſti propriè & abſolutè nominare, ſine additamento aut nexu, aut expoſitione: ita enim *Petrus Apoſtolus JESU Chriſti electis advenis, &c. Jacobus* vero & *Joannes*, & *Judas* in ſuis Epiſtolis nuſquam ſe Apoſtolos appellant. Sed duo primus, & poſtremus ſervos ſe: medius *Joannes Seniorem* ſe dicit. *Paulus* autem qui ſe Apoſtolum ſæpè, ac maximè vocat, eo titulo interdum abſtinet uti Epiſt. ad Philippens. & ad Theſſalonic. 1. & 2. ad Philem. & ad Hebræos: interdum *Servi* nomen præmittit: uti Epiſt. ad Romanos, & Epiſt. ad Titum. Et cùm ſe Apoſtolum dicit, aut non abſolutè dicit, uti in Epiſt. ad Corinth. 1. *Paulus*, inquit, *vocatus Apoſtolus*, aut cum nexu & reſpectu ad aliud dicit, quemadmodum Epiſt. ad Corinth. 2. Cum ſcripſiſſet *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti*, addidit *per voluntatem Dei.* Sic ad *Galatas Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, &c.* et ad Timoth. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum imperium Dei.* Fateor Petrum

trum in Epist. 2. Secum se & Apostolum dicere. Sed satis est, quod semel se in 1. Apostolum Jesu Christi simpliciter, & omni præciso additamento appellet: quod nemo alius Apostolorum usurpavit.

Illud quidem ad rem maximè videtur facere, quòd solus Petrus initio Epistolæ suæ trium Personarum Trinitatis claram & illustrem mentionem fecit, cum *Paulus* duas tantùm *Patrem* Filiumque expresserit, quemadmodum lector attentus comperiet. Igitur Petrus epist. 1. *Secundum præscientiam Dei Patris in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem Sanguinis Jesu Christi.* Quibus verbis non solum Personæ trés, sed earum etiam proprietates explicantur. Et quamquam Christi Domini Divina non exprimatur natura, nec proprietas, Persona inducitur, & quod necessarium est ad æternam consequendam salutem credere, id est, verbi Divini Incarnatio exprimitur, ut *Petrus* præcipua Fidei Christianæ Capita in epistola illa 1. sua, ceu summam totius doctrinæ tanquam princeps & *Doctor* Universalis Ecclesiæ proposuerit. Et quidem decebat, ut in quo suprema erat ad regendam Ecclesiam potestas, summa in eo quoque esset ad docendam & instruendam Authoritas: cum ea potestas spiritualis esset, & ad salutem Animæ quæ Fide nititur ordinata.

Hanc *Petri* fidem constantem & Authoritatem infallibilem Patres multis ac illustribus titulis declararunt: ex quibus ea deduci potest. Ac primum

mum Concilium Nicenum Petrum Christi *Vicarium* & ab eo Ambr. 24. Lucæ Ansel. ad cap. 16. Matth. Bernard. lib. 2. de Consid. appellant. Ecquis vero audeat dicere Vicarium Christi qui summa Veritas est falli posse, & fallere? cum eadem sit Vicarij ac ejus vicem gerit Authoritas. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, & Optatus lib. 2. & 7. contra Parmenian. & Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Joan. c. 64. *Apostolorum & Ecclesiæ Caput* vocant. Cui autem veniat in mentem dicere tam puri & pulchri Corporis caput errori esse obnoxium: & cum Aurum optimum sit, fœcibus inquinari? Chrysostomus *Os Apostolorum* eadem ratione dixit. Eusebius Emissenus Serm. de Sancto Joanne Evangelista *Pastorum Pastorem* nominat. Quantus error esset si non modo Oves, sed Pastores, imo & eorum Pastor errasset? Aut quis errorem tantum corrigeret? cum de uno errante Doctore Christus dixerit, *Quod si sal evanuerit in quo salietur? Verticem & Apicem Cœtus Apostolici.* Cyrillus in Thesauro. & Chrysostomus Homil. 87. in Joan. nuncupat. Quam deforme esse, in Coronide & Corona ædificii pulcherrimi vitium eminere! *Coryphæum Apostolorum* appellat Dorotheus Tyrus, in Synopsi. Isidorus Pelusiota l. 1. epist. epist. 142. Andreas Cæsariensis ad cap. 13. Apocal. Qui autem Coryphæus esse posset qui errando extra Chorum fœdè saltasset? *Ducem* discipulorum Christi dicit Epiphanius hæresi 51. Quam ineptè *Ducem* ageret, si cæcutiret? cum verum sit illud

Christi

Christi Dominici gregis *si Cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadent?* Antesignanum Apostolorum nominat Isidorus Peluſiota. Turpe foret Antesignanum ad errorem, quo nullus major est, ecclesiæ hostis desidere. *Ecclesiæ Personam gerentem* dicit Augustinus Tract. 124. in Joannem, Sane si Petro falsitas posset obrepere fuco inducto personam Ecclesiæ contaminaret. Rectorem Navis Ecclesiæ nuncupat Maximus Taurinensis Homil. 3. in Natali Apost. Petri & Pauli. Male regeret, qui cum Palinuro ad gubernaculum dormitaret. Petram & Crepidinem & Fundamentum Ecclesiæ Synodus Chalcedonensis Act. 3. & communiter Patres appellant. Arena potius diceretur, si minus firmæ consisteret, & ad flantes doctrinarum ventos circumferretur. A Crepidinis dignitate longe abesset, si molliscesceret ad errores. Firmum Fundamentum esse nequiret si variarum opinionum pulsibus quateretur, & in accepta veritate mutaret. Quare optimè Origines Hom. 5. in Exod. *Vide*, ait, *magnæ illi fundamento & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam quid dicatur à Domino.* Et in Psal. 1. *Petrus super quem Christi Ecclesia ædificata est, contra quam Inferorum Portæ non prævalebunt*; & Chrysostomus Hom. in Petrum & Iliam. *Petrum talem ac tantum virum, Apostolorum Verticem, Fundamentum immobile & Petram stabilem.* Et Augustinus Serm. 13. de Sanctis: *Petrum itaque Fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit, & ideo digne Fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædi-*

ficij altitudo consurgit. Æquum profecto erat, ut qui Authore Hilario *Cæteros Fide anteierat*, & teste Hieronymo *Ardentissimæ semper Fidei inventus fuerat*, ab ea confirmatus à Christo non recederet, nec illius ardorem remitteret, sed ad extremum usque Spiritum servaret, donec Cruci affixus in media etiam morte Firmitatem et constantiam indicaret.

Una supereſt removenda objecto, quam urgent sæpè Hæretici, tum adversus Primatum, tum adversus illius authoritatem. Hanc mihi vindicandam sumo, et argumentum sic ex eorum sententia formo. Paulus Galat. 2. narrat Petrum Anthiochiæ non *rectè ad veritatem Evangelii ambulasse, atque idcirco se ei in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat.* Erravit igitur, et quidem graviter contra Evangelicam veritatem Petrus; et est jure à Paulo reprehensus, quod si eo minor erat Paulus, ac nihil inde primatui juxta Augustinum timendum, ideo magis metuendum est Authoritati nam qui eum minor ausus est reprehendere, errantem sanè deprehendit: nec enim ei aliter se auderet opponere. Non poterat autem non errare graviter qui contra veritatem Evangelis ambulabat.

Hoc argumento usus fuit olim Marcion adversus Petrum, Tertulliano teste lib. de præscript. c. 23. et ex Novatoribus Gardius & Marcus Antonius de Dominis, apud Becanum Tomo de Controvers. Hac de re extitit celebris controversia inter duo Ecclesiæ Lumina, Hieronymum & Augustinum, quam multis

multis & eruditiſſimis ultro citroque miſſis Epiſtolis acerrimè agitarunt. De qua Divus Thomas 1. 2. q. 103. a. 4. & et ibidem Theologi. Prima reſponſio eſt. In eo loco Pauli non agi de Petro Apoſtolo, & Apoſtolorum Principe, ſed de alio qui unus erat ex ſeptuaginta discipulis; nam Paulus eum ibi non vocat Petrum, ſed Cephas; quo nomine rarius vocare ſolet, atque ad eo appellans notat ſe de alio, non de Petro rem narrare: in ea quoſdam eſſe authores ſententia, refert Hieronymus in Comment. Epiſt. ad Galatas. c. 2. cum præſertim inter diſcipulos eſſet unus, qui Martialis Cephas vocabatur, Authore Clemente Alexandrino apud Euſebium l. 1. Hiſtor. c. 14. Verùm hæc frigida & inepta evaſio eſt; nam in eodem c. 2. paulò ante Paulus n. 9. Petrum Cepham primum appellarat, *Jacobus*, inquit, *Cephas*, & *Joannes*. Ubi Cephas pro Petro ponitur. Quare cum n. 11. Cepham inducit, non poterat non Petrum ſignificare: imo non decebat eum alio nomine, quam Cepha afficere, ne intra duas lineas variare nomen temerè videretur. Itaque omnes fermè Patres tum Græci tum Latini locum de Petro intellexerunt.

Comperto & admiſſo Cepham Petrum eſſe, Prima reſponſio eſt Hieronymi & Patrum quos adverſus Auguſtinum citat Græcorum, Epiſt. inter ſuas 89. inter Auguſtinias 11. neque erraſſe Petrum, neque Paulum verè illum reprehendiſſe, ſed eos ita rem inter ſe compoſuiſſe, ut Petrus Errorem, Pau-

lus Reprehenſionem ſimularet, ut ea ratione Judæos & Gentiles conciliarent, & quid utriſque liceret officioſâ illâ ſimulatione docerent. Nam qui Judæi viderent Petrum utentem legalibus, Synagogam cum honore ſepeliri, comperirent; & Gentiles, cum animadverterent reprehendi *Petrum* à Paulo, crederent uſum illum Legalium jam interiiſſe, & tantum permitti, cum ſuprema officia ſepulturæ. Imo & Judæi idem eâ objurgatione docebantur; cùm viderent *Petrum* reprehendi à *Paulo*, & reprehenſum abſtinere. Id Origenes, id Didymus, id Apollinaris, id Alexander, id Euſebius, id Theodorus apud Hieronymum Epiſt. illa 89. ſive 11. Conſentit Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius in eum locum Galat. Ex Scholaſticis unus aſſentitur Adrianus in 4. q. 1. de Baptiſmo. Hac ratione inanis eſt objectio, cum nihil inde adverſus *Petri* Authoritatem et dignitatem deducatur.

Sed quoniam hujuſmodi ſententia, etſi graviſſimorum Doctorum, vera non eſt, uti divino ſuo ingenio Auguſtinus demonſtravit Epiſt. 8. uſque ad 19. qui cum Latini fermè omnes, tum Patres, tum Scholaſtici ſentiunt: dandum eſt argumento quòd aſſumit, & erraſſe in eo facto *Petrum*, & ob id verè, ac rectè à *Paulo* reprehenſum. Verba enim *Pauli* in hac Epiſtola aliter exponi non poſſunt, quemadmodum oſtendit accuratiſſimè Auguſtinus. Et patet in textu. Ac ita docet D. Thomas 1. 2. q. 103. a. 4. ad 2. & ibi Thomiſtæ. &

Doctor noster subtilis. in 4. d. 3. q. 4. §. Quantum ergo. & Scotistæ ibidem. Bonavent. in 4. d. 3. a. 5. q. 2. Richardus in 4. d. 1. a. 6. q. 4. Durandus eadem dist. q. 9 n. 7. & 8. Paludan. q. 6. a. 5. concl. 4. Gabriel q. 4. a. 3. dub. 3. Sotus l. 2. de just. q. 5. a. 4. ad 3. membr. 1. argum. Eandem docuit Hugo de sancto Victore. quæst. in Epist. ad Galat. q. 6. Imo & ita definitum esse in Concilio Florentino affirmat Caietanus, & Dominicus Soto. alter ad locum. 1. 2. alter lib. 2. de Justitia. Plures videri possunt apud Vasquez. 1. 2. d. 182. & Becanum in Tomo. de Controvers. in Opusculis. l. 2. de Repub. Ecclesiast. Et quidem Errasse Petrum, & ob id objurgatum, affirmant disertè Augustinus & Cyprianus Epist. ad Quirinum, nec Gregorius Homil. 18. negat, & confirmat Divus Thomas in 2. 2. quæst. 33. a. 4. ad. 2. & est communis sensus Authorum. Quomodo errarit Petrus videndum. Primum non erravit in aliquo articulo Fidei: nam communicare tum cum Judæis, & eorum traditiones, ut ait Augustinus, observare, licitum erat: modo spes salutis in iis non poneretur. Ac iis etiam Paulus ipse est usus, cum Timotheum circumciderit, et totonderit in Cenchreis caput; et se Hierosolymis purificaverit, et obtulerit. Igitur eo in usu Petrus non peccavit. Erant enim Legalia, dum Lex Gratiæ promulgata non erat, mortua tantum, sed non mortifera: permittebanturque à Deo, ut inquit Augustinus, ut Synagoga cum honore sepeliretur. Constat igitur Petrum

trum in Doctrina Fidei non erraſſe. Tantum ergo erravit, in aliquo vel affectu, vel circumſtantia loci, aut temporis, vel in utroque. Nam timore perculſus videtur: cum dicat Textus *Timens eos qui ex Circumciſione erant*; et iſte fortaſſe timor culpatur. *At* Paulus non dicit eum ob Timorem *reprehenſibilem*: ſed innuit culpam in opere, nam non *rectè ambulabat ad veritatem* Evangelij, et ſcandalum præbebat exemplo. Igitur opere et facto errabat. Sanè: ſed extra re Fidem errabat. *At* in eo error erat, quòd alieno tempore illo convictu et cæremoniis uſus eſt: cum Gentiles repentè reliquerit, et ad Judeos qui recenter advenerant ſe transtulerit, ac eorum more vixerit. Unde ſcandalum oriebatur apud Gentiles, quos adhuc in fide teneros illa mutatio poſſet percellere, & ex ea ſecuta, obſervantia Legis perturbare. Itaque ad incogitantiam potiùs, & imprudentiam error ille pertinet, quàm ad aliquod vitium voluntatis, & morum. At ita ferme explicant hujuſmodi errorem *Petri* Patres & Doctores: ac inter omnes luculenter Vaſquez. d. illa 103. c. 7. & Suarez. l. 9. de legib. & in Defens. Fidei contra Regem Angliæ l. 3. c. 11. Quare in Politica *Petrus*, non in doctrina Fideve erravit. An peccaverit ambiguum eſt. Id conſtat graviter non peccaſſe. Quod acutè & accuratè probat Scotus. Peccaveritne venialiter diſceptatur. Et quidem ſic peccaſſe Auguſtinus, & Thomas, & Scotus, cæterique non negant. Recentioris memoriæ Theologi omnino

no negant, ne quem in *Petro* nævum admittant. Ita Vaſquez ſentit,& contendit probare illo cap. 7. n. 56. Ego non dubitem in *Petro* leve ac veniale Peccatum, ſed in Judicio potius Politico, quàm in re,& mentis intentione admittere: nec id quicquam detrahit aut dignitati aut authoritati, cum præſertim veniales culpæ tam facilè obrepant. Nec video,quî ſine Peccato *Petri*, verba *Pauli* poſſint conſiſtere : nam niſi peccaſſet, non diceretur à *Paulo Reprehenſibilis*, quod ſupra Perſonam cadit, non ſupra nudum factum. Præterea,quomodo liberari ab omni culpa poteſt, qui *non rectè ad veritatem Evangelii ambulabat* : & qui exemplo illo ſuo Judaizare Gentes cogebat ? Itaque etſi neque doctrinâ,neque intentione erraſſet, nec graviter deliquiſſet, ſaltem, in modo & circumſtantia temporis per incogitantiam, & imprudentiam peccavit: quæ cum non omnino eſſet invincibilis, & aliqua levis negligentia obrepſiſſet, ſatis fuit ad culpam venialem contrahendam. Quare argumento non concedimus *Petrum* ullo modo in doctrinâ erraſſe, cum uſus ille Legalium pro eo tempore Judæis permitteretur, nec ob eum reprehendi à *Paulo*,qui illis etiam uſus fuerat,potuiſſe. Loco autem concedimus *Petrum* ex incogitantia obrepente incuria, leviſſimè peccaſſe : quo & integra *Paulo* Fides,& *Petro* incorrupta authoritas manet. Grave teſtimonium Tertulliani clauſula eſto. lib. de Præſcript. *Cæterum ſi reprehenſus eſt Petrus,Converſationis fuit vitium,non Prædicationis.*

Alium ſcrupulum objicit Thomas Anglus Paragr. illo ſuo XXII. non quo fidem *Petri* infirmet, ſed quo imminuat authoritatem. Quem moverant antea Marcus Antonius, & Gardius, & Sereniſſimus item *Jacobus* Rex Angliæ ex æqualitate cæterorum cum *Petro* Apoſtolorum, & Societate cum *Paulo* & *Barnaba* initæ: Ad Galatas 2. ubi *Paulus: cum agnoviſſent Gratiam quæ data eſt mihi Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur Columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis*, quo loco non ſolum non ſuperior Petrus, ſed inferior Jacobo, qui prior ponitur, ſignificatur: ac deinde in ordinem cæterorum redigitur. Objectum ſcrupulum ſupra jecimus & removimus: nunc prorſus tollemus. Nihil eo teſtimonio detrahitur Authoritati ſupremæ Petri; nam cum Paulus c. 1. dixiſſet veniſſe ſe Hieroſolymam videre *Petrum*, & apud illum fuiſſe diebus quendicim, ſalis declaraverat *Petri* excellentiam & authoritatem, cum neminem alium ei vel præpoſuiſſet, vel cojunxiſſet. Quare non erat neceſſe, ut mox iterum ejuſdem rei mentionem faceret: nec enim id tunc *Paulus* agebat; imo ab eo quod agebat maximè alienum erat, *Petri* ſummam in Eccleſia authoritatem teſtari: nam ea mens, id conſilium *Paulo* erat, Doctrinam ſuam à Chriſto ipſo & Spiritu ſancto acceptam oſtendere, ut nihil ei homines, ne Apoſtoli quidem, contuliſſent. Ad id autem demonſtrandum æqualitas maximè faciebat: quam eâ ratione voluit *Paulus* inducere. Nec id ſanè inficiandum,

Pa-

paulum in eo *Petro* & Apoſtolis parem fuiſſe: quem admodum obſervat Suarez. l. 3. defenſionis Fidei c. 11. n. 18. Quare cùm de eo tantum ibi Paulus ageret, non erat opus ut *Petri* excellentiæ meminiſſet; cum præſertim eam ſatis primo capite expreſſiſſet. Eo autem nihil ſupremæ *Petri* authoritati derogatur: niſi forte, ſi quis ſe Anglus ingemo, & ſapientiâ Parem *Jacobo* Regi eo tempore quo regnabat diceret, idque, probaſſet, is omnino negaret *Jacobum* authoritate ſuperiorem eſſe. Itaque potuit *Paulus*, potuerunt Apoſtoli pares ſe in multis *Petro* oſtendere, idque verè affirmare, nec tamen ejus Principi authoritati derogare. Ut autem ad *Thomam Anglum* ſtylum convertam. Fateor eum in poteſtate Conſecrandi Chalcedonenſi Epiſcopo parem eſſe: cum tamen hic eo & dignitate, & authoritate, & Juriſdictione ſuperior ſit, & cui *Thomas Anglus* omnino, quod ſit Paſtor, teneatur, ut Ovis, obedire. Quod ut faciat moneo, ne perperâ ſentiendo & ſcribendo erret, & errando à Caulis Chriſti, ad aliena & inimica ſepta deficiat: idque magnore curandum, nam quædam jam in Thoma deerrantis apparent veſtigia.

Quæ diligenter obſervo. Et quidem hoc loco caſtiganda ſunt. Supponit primum: nos qui ſummam *Petro* authoritatem ac infallibilem damus affirmare *Petrum accepiſſe Inerrabilitatem reſpectu cæterorum, quaſi cæteri errare potuiſſent, & poſt ſeparationem ad Petrum pro inſtructione redituri: poſtquam plenitudinem ſpiritus Sancti ad Orbis magiſterium acceperunt*

ceperunt. Quo *quid* ait *inſulſius eſſe poteſt?* Falſum ille omnino ſupponit. Cui enim id Catholico in mentem venit? Nemo dicit *Apoſtolos* erraſſe, aut in fide errare potuiſſe, neque à Petro confirmatos eſſe, aut potuiſſe confirmari: uti articulo ſuperiore tradidimus; ſed illud tantum Catholici *Authores* aſſerunt; *Petrum* illam Firmitatem credendi & poteſtatem confirmandi tanquam Caput, & Paſtorem Eccleſiæ accepiſſe, eam que ad Succeſſores cum eadem dignitate, & authoritate tranſiſſe: ac in iis reſpectu aliorum Fidelium Paſtorumque & fuiſſe, & eſſe, & fore. Nec enim ex *Petri* Privilegio Apoſtolis quicquam de ſua Fide & authoritate detractum: nec *Petrus* in Fidei firmitate privatâ eos antecedebat: ſed in eo quod ea Fides in *Petro* erat Capitalis, & cum Eminentia & reſpectu ad totam Eccleſiam: unde reliquos qui errare poterant, ex officio poterat & debebat confirmare. Itaque duo diſcernenda ſunt in *Inerrabilitate*, ut ait Thomas *Anglus*, *Petri* & *Apoſtolorum*, Firmitas privata & *Authoritas* publica. In primo *Apoſtolis Petrus* potuit non excellere; ſed in ſecundo non potuit non excellere, cum in ſingulis *Apoſtolis* non eſſet *Authoritas* Capitis ad univerſam Eccleſiam pertinens, cujuſmodi erat in *Petro*, nec enim tot erant Capita Eccleſiæ, quot *Apoſtoli*. Itaque inſulſiſſimè Thomas Anglus ſupponit, & ineptiſſimè ratiocinatur.

Deinde minus fideliter in exponendo textu procedit, conjungens locum *Pauli* conferentis Evangelium, cum illo quem citat: *Jacobus & Cephas*

et

& *Joannes* qui videbantur Columnæ *esse*, &c. cum ille prior ab hoc diſſitus ſit, etenim *Paulus* n. 2. in quo ait ſe Evangelium contuliſſe, neminem nominat: nominat autem n. 9. cum *ei dederunt dextras ſocietatis*, non ad collationem Evangelij, ſed ad prædicationem illius, partito munere Evangelizandi, ut *Petrus* & cæteri Judæis, *Paulus* & Barnabas Gentibus Chriſtum annunciarent. Sed Thomas utrunque locum confudit, cum debuiſſet inter eos diſtinguere: & quid cuique proprium eſſet aſſignare.

Tandem ait Thomas Anglus, Paulum in tertia regione aëris (ita exponit *Tertium Cœlum*) *Arcana illa verba* cum Evangelij doctrina audiviſſe: quod ſanè abſurdum videtur: nam aut illis verbis *Tertiũ Cœlũ* nõ intelligitur locus aut ſi intelligitur, ille ſanè Tertia Aeris Regio eſſe non poteſt: ſed alius multo & eminẽtior, & ſacratior: cujuſmodi eſt Cœlũ quod appellamus Empyreum. ET Paradiſus ab Eccleſia dicitur, in quo eſt ſedes Beatorum, qui Dei clara viſione fruuntur. Et quidem Auguſttinus lib. 12. de Gen. ad Litter. à c. 27. Per tertium Cœlum, tertium quoddam viſionis genus, quo Deus intuitivè, ut aiunt, ac uti eſt in ſe videtur, intelligit. Alii communiter Paradiſum interpretantur, id eſt, locum in Cœlo Empyreo, ubi eſt ſedes Beatorum. Certè *Paulus* illâ ſuâ 2. ad Corinth. Epiſt. c. 12. *Tertium Cœlum Paradiſum* vertit. n. 4. Exiſtimo autem Paradiſum, non eſſe in tertia aëris Regione, cum præſertim ſentiam cum Auguſtino,

Epiſt. 112. c. 12. & lib. 12. de Genes ad litter. c. 27. & 28. & Anſelmo. 2. ad Corinth. 12. & Scoto. q. 2. Prol. & in. 2. d. 3. q. 9. & in 4. d. 49. q. 12. & D. Thoma. 1. p. q. 12. a. 11. & Scotiſtis, ac Thomiſtis communiter, Paulum Clarè Deum vidiſſe. Ad id autem idoneum non eſſe locum, Tertiam regionem Aëris exiſtimo. Niſi forte quòd ea extra tempeſtates, & ventos ſit, Putavit Thomas Angliari eſſe ad Beatitatem accommodatam. Olympum, opinor, cogitabat ille, cujus cacumen in tertiam illam regionem evadens, locum Poetis dedit fingendi in eo monte Cœlum, imo eum pro Cœlo montem accipiendi. De quo aptè canitur. *Pacem ſumma tenent.* Acquieſcerem, niſi ſcitem Joanni Evangeliſtæ (de quo quidam cum P. Salas ſequẽte Origenem aiunt Deum vidiſſe) veritatem illam initio Evangelii ſui Divinitus expreſſam inter ſonantes tonitrus, & micantia fulgura, & contorta fulmina revelatam. Sed is Filius Tonitrui erat, & in ſecunda aeris regione debebat ad Deum videndum conſiſtere. *Paulo* cum eſſet organum Spiritus Sancti Suave, & temperatum ulterius eundum erat, ubi non obſtreperent tonitrus, nec fulgetræ præſtingerent; nec fulmina terrerent. Lepidè Blacolus ſi ita, ſed putidè tamen ratiocinatur.

ARTICULUS III.

Utrum hoc Privilegium Petri ad Romanos Pontifices ejus ſucceſſores tranſierit, ac in iis conſervetur?

NON mihi aut *Petrum* Romæ poſuiſſe Cathedram, eamque Eccleſiam rexiſſe: quod quidam Hæreticorum temere & impudenter; nec ſucceſſores alios Romanos Pontifices continenti ſerie in eadem ſede, & Eccleſia habuiſſe, quod multi imprudenter negant, quòd cum homine Catholico diſputem, probandum eſt. Sed utrum eodem Firmitatis Fidei, & Authoritatis Infallibilis ad confirmandum in Fide Cæteros Privilegio, quod *Petro* aſſignavimus, fruiti fuerint ac fruantur illius ſucceſſores? non nunc de privata cujuſque Fide & Authoritate, ſed de Publica, quæ dignitatis & Cathedræ Comes eſt, & ad regimen Eccleſiæ pertinet, quæ diverſa quidem argumenta ſunt, inſtituo quæſtionem.

Qua in re omnino affirmandum idem quod in *Petro* fuit privilegium cum eadem prærogativa in ſucceſſoribus eſſe. Id ratione conſtat. Nam uti?

uti ex Patribus ſupra diximus, Chriſtus Dominus ita *Petrum* Caput & Paſtorem Eccleſiæ ſuæ inſtituit, non ut pro ejus vita duntaxat dignitatem, primatumque inſtitueret, Eccleſiamque ejuſdem vitæ periodo terminaret, ſed ut in *Petro* & Eccleſia ſui temporis, formam quæ futura erat, Paſtorum & Greges in Eccleſia ſua perpetuo duraturam præſtitueret ac demonſtraret. Quod ſi quævis Hominum Reſpublica, cum Regem ſibi vel Principem deligit, cui ſe regendam committit, non de eo tantum cogitat, ſed in poſterum cogitationes ſuas intendit, & futuram Regum, ac Principum ſucceſſionem, in eo quem deligit, deſtinat & providet, quanto majori jure Chriſtus Eccleſiæ ſuæ eâdem ratione conſulere debuit, cum eam perpetuam conſtantemque formaret? Negare quiſquã Regni temporalis, & caduci civis non audeat Reges ſuos legitimos eſſe, qui à Primo ſunt deducti, & audebit Catholicus quiſquam Romanos Pontifices juſtos ac germanos eſſe Eccleſiæ ſpiritualis ac æternæ paſtores inficiari? Ergone deſinet à Chriſto Domino *Petro* authoritate Divina collata poteſtas? æternabit Regibus à populis authoritate humanâ juriſdictio attributa? Pudeat quenquam, tam ineptè & abſurdè ratiocinari.

Sed ſacrat us rem pendamus. Textus ipſe nos docet Chriſtum de Futuro ad finem uſque mundi ſtatu Eccleſiæ cogitaſſe, ac egiſſe. Quorſum enim ſpectat illud *Ædificabo Eccleſiam meam?* Ac *ſuper hanc Petram*, & illud *Portæ Inferi non prævalebunt adver-*

ſus

ſus eam. Et aliud *Ut non deficiat Fides tua.* Et aliud *Converſus confirma Fratres tuos.* In quo loco ſumma vis eſt. Nam Fratres confirmandi à *Petro* Apoſtoli non erant, igitur alii erant Fratres Apoſtolis ſucceſſuri, qui in Fratrum nomen & locum ſuccederent. Hos igitur diuerſos perſonis, pares dignitate, pontifex alius à *Petro* perſonâ, idem loco, & authoritate confirmaturus erat. Jam verò locus ille Matthæi ultimo: *Ecce ego vobiscum ſum uſque ad Conſummationem ſeculi* curam iſtam providentiamque deſignat. Nec enim cum Apoſtolis tantum, qui non eò uſque victuri erant; ſed cum eorum ſucceſſoribus ad conſummationem ſeculi duraturis futurus erat, uti Auguſtinus lib. 6. de Geneſi ad litter, c. 8. & Theophylactus hic exponunt.

Nec Patres hac in veritate probanda minus, quàm in *Petri* dignitate, & authoritate aſſerenda acres, vehementesque fuerunt, quemadmodum ſupra indicavimus: nunc moſtramus. Igitur Cyprianus lib. de Unit. Eccleſiæ initio, *Ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit.* Et Epiſt. 27. Dominus noſter Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit *Petro*, Ego dico tibi quiâ tu es *Petrus*, & ſupra hanc *Petram* ædificabo Eccleſia meam. Ac infra. *Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, et Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſupra Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Ec-*

 cleſiæ

cleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur. Eodem ſenſu dixit Chryſoſtomus lib. 2. de ſacerdot. verſans locum Joan. 21. quanam de Cauſâ Chriſtus ſanguinem effudit ſuum? Certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat. Idque deinceps probat. Unde rectè breviter que Ambroſius in Pſal. 40. intulit ex illis verbis Tu es *Petrus*, &c. *Ubi Eccleſia ibi* Petrus, id eſt, *Petri* ſucceſſor Pontifex Romanus, & addit appoſitè *Ubi Eccleſia ibi nulla mors, ſed vita æterna*: quia etſi Petrus, & qui ei ſuccedent ſinguli moriantur, Eccleſia & vivit, & æternat. Philippi Presbyteri in Conc. Ephes. Tom. 2. Concil. c. 16. luculentum teſtimonium eſt. *Nulli dubium imo ſeculis omnibus notum, Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem & Caput Eccleſiæ Catholicæ Fundamentum per Succeſſores ſuos hucuſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe. Hujus itaque Ordinarius ſucceſſor Papa Cœleſtinus nos ad hanc Synodum miſit.* Id nemo melius Auguſtino vidit, & confirmavit, uti ſupra commemoravimus, ſemper enim in *Petro* publicam pro tota Eccleſia Perſonam agnovit. Ejus autem rei idoneam rationem affert Enarrat. 1. in Pſal. 108. loquens de Juda Judæorum Populum repreſentante. *Sicut enim* inquit, *quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen illuſtrem habent intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum quem in diſcipulis habuit. Ita Judas quodammodo perſonam*

ſonam ſuſtinet inimicorum Chriſti Judæorum. Ubi obſervo Auguſtinum in *Petro* agnoviſſe, & Primatum,& veram Eccleſiæ ſuſtinuiſſe Perſonam, quòd de Juda *Quodammodo* dixit,ut innueret multum inter utranque Repræſentationem intereſſe. Cum Judas umbratilis Judæorum,Petrus ſolida & germana Eccleſiæ Perſona repræſentando exiſteret.Quod adhuc accuratiùs expreſſit tract. 124. in Joan. poſt med. expendens illa verba Evangelij *Dimitte nobis debita noſtra*,&c.*Hoc agit Eccleſia ſpe beatâ in hac vitæ ærumnoſa: cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat figuratâ generalitate Perſonã. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Chriſtianus, abundantiore Gratiâ unus, idemque Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Univerſalem ſignificabat Eccleſiam.* Rectè omninò,nam iſta repræſentatio Eccleſiæ ſupponebat in *Petro* dotes & virtutes quibus abundabat, & dona quibus cæteros antecedebat: ac iis ipſis ecclefiam ſignificabat,ut ſicut in eo erant, ita in Eccleſia eſſent futura. Et lib. de Agone Chriſtiano c. 30. *Non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ Claves Regni Cœlorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt.* Et *cum ei dicitur ad omnes dicitur Amas me ? Paſce Oves meas.* Non quod ſingulis eodem modo quo *Petro* conceſſa ſint ſingula,ſed pro varietate munerum & perſonarum : quemadmodum poſtea nos idem Auguſtinus docebit. His enim locis non æqualitatem, ſed perpetuitatem, & proportionem ſignificat:

alioqui omne Regimen Ecclesiæ confunderetur, si omnia essent promiscua. Unde Serm. 33. de verbis Apost. c. 2. *Respondit Petrus unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.* Ecce unitatem, videamus distinctionem, ac retentis muneribus proportionem. Serm. 13. de Verb. Dom. c. 1. *Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine Primus, in Christi amore promptissimus sæpè unus respondet pro omnibus.* En Personæ & muneris distinctionem cum unitate in Fide. Hæc communis, illud proprium, representata Ecclesiæ fide, servata dignitate. Clarius c. 2. *Idem ergo Petrus à Petra cognominatus, beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens.* Viden? ut Ecclesiæ publicam Personam sustinens, propriam servat prærogativam principatus? Ea nimirum erat Figuræ conditio, ut quod futurum erat in Ecclesia significaret, cum autem in ea Caput & membra essent futura. *Petrus* qui caput erat, quid capiti conveniret propriè, quid membris metaphoricè indicabat. Ita qui futuri erant in Ecclesia Capita in Petro capite exprimebantur; qui membra in Petro Fideli adumbrabantur.

Neque hoc acumini dandum est meo, aut in Augustinum affectui: sed studio veritatis. Ac ut id appareat audiamus Augustinum servantem Decorum Dignitatis Petri, impositâ communi fragilitatis Fidelium personâ. Loquens de Pœnitentibus Epist. 108. ad Seleucianum sic ait. *Quod autem dicitur Petrus egisse Pœnitentiam, cavendum est, ne ita putetur egisse quomodo agunt in Ecclesia qui pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat ut primum Apostolum inter tales pœnitentes numerandum putemus?* Itaque

Itaque Quod de Deo Adamum formante dixit Tertullianus: *Cogitaſſe Chriſtum cum figurabat Adamum* id de Chriſto Petrum inſtituente Auguſtinus aptè ad Eccleſiam convertit. *Eum in Petro formando Eccleſiam præformaſſe.*

Quaſcunque igitur Prærogativas *Petrus* Publicam Principis & Capitis Eccleſiæ Perſonam gerens à Chriſto accepit, & retinuit ipſe, & ad ſucceſſores tranſtulit. Inter eas unam inprimis fuiſſe Authoritatem in definiendo, & judicando ſupremam, nemo inficias ierit qui Sanctorum Patrum monumenta evolvat. Ac primum id Pontifices ipſi Romani, qui proprij ſunt ac domeſtici Teſtes fatentur: quibus non ideo abroganda eſt fides, quod in Cauſa propria teſtimonium reddunt, cum præterquam quod omnium conſenſus firmum ſit argumentum veritatis, ipſi ſanctiſſimi viri & integerrimis moribus fuerint: ac nemo melius quid ſibi liceat quidve conveniat, quàm quibus ea eſt Poteſtas tradita cognoſcit. Equidem non videò cur minus credamus Catholicis Pontificibus noſtris, quàm Calviniſtæ & Cæteri Heterodoxi Regibus ac Principibus ſuis ſuam Juriſdictionem & authoritatem affirmantibus credunt. Itaque ferant nos Pontificibus ſummis *Petri* ſucceſſoribus duce Scripturâ & traditione fidem adhibere, quando ij Principibus ſuis ad aſtruendam pro libitu Poteſtatem propriam, & vindicandam alienam credere volunt. Nec ego nunc de Primatu dignitatis, ſed de pondere Authoritatis (quæ meæ ſunt partes) ago. Igitur Mariſtus Epiſt. 1. *Romanum Epiſcopum Caput vocat*

ad quod in dubiis recurrendum eſt. Id Anacletus antea, Epiſt. 1. dixerat, & Alexander. 1. & Sixtus 1. id Anicetus, id Eleutherius, id Victor in Epiſtolis ſuis dixerunt. Zephyrinus Epiſt. 1. ex loco Matth. 16. Romanæ Eccleſiæ authoritatem probat, ad cæteras inſtruendas: & ad finem ait: *Memor enim ſum me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cujus à Domino Jeſu Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cujus Fidei omnes ſemper deſtruit errores.* Conſentiunt Anterus ad Epiſcopos Bæticos; & Fabianus Epiſt. 1. 2. & 3. Cornelius Epiſt. 46. inter Epiſtolas Cypriani, & Lucius in Epiſt. ad Occidentales. Sixtus 11. Epiſt. 1. Ac Dionyſius Epiſt. 2. ad Severum Epiſcopum: *Ab initio*, ait, *tantam accepimus à Beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, ut habeamus authoritatem auxiliante Domino Univerſali Eccleſiæ ſubvenire.* Quod Felix Epiſt. 1. confirmat, & Marcellus Epiſt. 1. calculum addit. Adjicitque *Nullam Synodum legitimè fieri poſſe ſine Romanæ ſedis authoritate.* Euſebius Epiſt. 3. Marcus Epiſt. ad Athanaſium & Epiſcopos Ægypti, & Julius 1. Epiſt. ad Orientales. & Liberius in Reſcripto ad Athanaſium, & Felix 11. ſubſcribunt. Id Damaſus probat Epiſt. 2. ad Epiſcopos Africæ, & Siricius Epiſt. 1. ad Himerium. Illud præclare jacit, *Portamus onera omnium Eccleſiarum, imo in nobis portat Beatus Apoſtolus Petrus.* Nec minus Anaſtaſius ad Burgundicos & Germanicos Epiſcopos. *Exigit*, inquit, *dilectio veſtra ex authoritate Sedis Apoſtolicæ veſtris reſpondere Conſultis.* Sed nemo

id

id ſæpius ac luculentius confirmat, quam Innocentius I. tempore Auguſtini quo maximè ecceſiæ Romanæ authoritas viguit ſummi hujus Doctoris firmata oraculis, quæ paulo poſt afferemus. Itaque Innocentius epiſt. 1. ad Victricium. 2. ad Exuper. 3. ad Innocentium. 17. ad Arcadium. 27. ad Epiſcopos Macedoniæ 29. ad Decentium Epiſt. 31. & 32. ad Concilium Carthaginenſe, & Milevitanum Apoſtolicam authoritatem aſſerit & illuſtrat. Sequitur Zozimus. Epiſt. 1. ad Heſychium & Bonifacius 1. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ. & Epiſt. 3. ad Hilarium. & Cœleſtinus. 1. Epiſt. 1. ad Epiſcopos Viennenſes & Narbonenſes. & Epiſt. 4. ad Eccleſiam Conſtantinopolit. & Epiſt. 5. ad Neſtorium. Qui deinceps ſucceſſerunt à Leone I. Uſque ad Innocentium III. ab eo ad noſtra uſque tempora magni profecto & Authores & vindices hujuſce Authoritatis Pontificiæ extiterunt. Quorundam locos tantum indico. Hilarij epiſt. 3. ad Aſcanium. Gelaſij 1. Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, & 6. ad Epiſcopos Lucaniæ & Epiſt. 10. ad Anaſtaſium. & Epiſt. 11. ad Dardanos. & in Commonit. ad Fauſtum, & in Decreto de Apocryphis Scripturis. Anaſtaſij 2. in Epiſt. ad Anaſtaſium Auguſtum. & Symmachi in Apologet. contra eundem. & Hormiſdæ Epiſt. 1. ad eundem met Imperatorem, & Epiſt. 22. & ſequentib. ad Juſtinum Imperatorem. Bonifacij 11. in Epiſt. ad Julalium. Joannis 11. Epiſt. 2. ad Juſtinianum. Vigilii Epiſt. 1. c. 7. & Epiſt. 4. ad Univerſum populum Dei. Pelagij 1. in

in Epiſt. 1. ad Vigilium & Epiſt. 3. & 5. Joannis III. in Epiſt. 3. ad Epiſcopos Germaniæ, Pelagij II. Epiſt. 1. contra Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum. Honorij 1. ad Eduinum Regem Anglorum, & Honorium Epiſcopum. Leonis II. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Benedicti II. Epiſt. ad Concilium Toletanum 14. Agathonis Epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem. quæ habetur in 6. Synodo. Adriani 1. Epiſt. ad Conſtantinum & Irenen. quæ in 7. Synodo exhibetur: præcipuè parte 2. quæ in Vaticana Bibliotheca ſervatur. Nicolai I. Epiſt. 6. ad Photium. & Epiſt. 10. ad Epiſcopos Conſtantinopolitanæ Sedi Subjectos, & 18. 20. & 30. Joannes VIII. Epiſt. 73. ad Lambertum. Leonis IX. in Apologia contra Michaelem & Leonem & Epiſt. ad Petrum Antiochenum, & ad Conſtantinum Monachum Imperatorem. Gregorii VII. Epiſt. 10. lib. 3. Epiſt. ad Henricum Regem. Innocentij III. Serm. 2. de Conſecratione Pontificis. Cæterorum Recentioris memoriæ Pontificum locos adducere omitto, quòd de iis nemo dubitat, quin authoritatem ſibi eam tanquam Romanæ Sedis propriam vendicarint, ac eam ſæpe exercuerint. Qui ſcire id exactius velit, Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum, et Bullarum libros evolvat.

Delecta certorum Pontificum antiquiorum teſtimonia operæ pretium erit adducere. Ac primum Leo 1. hanc Authoritatis in doctrina Prærogativam egregie aſſerit & confirmat. Ita Epiſt. 4 Paſtorem ſe Univerſalem totius Eccleſiæ agnoſcit:

Divinis

Divinis, inquit, *præceptis, & Apoſtolicis monitis incitamur ut pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu.* Idem inculcat Epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonic. & 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ, & luculenter admodum in Sermonibus de Aſſumptione ſua, præſertim 3. Sed duo maximè loci notandi. Alter in Epiſt. 47. ad Synodum Chalcedonenſem, in qua cum dixiſſet, Ex voluntate Imperatoris indictum eſſe Concilium, ait *Beatiſſimi Petri Apoſtoli jure atque honore ſervato.* Quod ſummum erat, nec ei poterat derogari. Et infra cujuſmodi illud ſit oſtendit declarans, *ſe in ea Univerſali Synodo per ſuos vicarios præſidere.* Aptiſſima item ſunt Epiſt. 53. & 54. & 55. Sed illud in hac ultimâ ad Pulcheriam Auguſtam pulcherrimum ad Pontificiam authoritatem circa res Fidei commendandam. *Conſenſiones Epiſcoporum, Sanctorum Canonum, in Nicæna Synodo conditorum regulis repugnantes unitâ nobiſcum veſtræ Fidei pietate in irritum mittimus, & per AUTHORITATEM BEATI PETRI generali prorſus definitione caſſamus.* En à quo Authoritatem ad rem tantam tamque gravem circa doctrinam Leo acceperit, id eſt, à Primo ac Principe Eccleſiæ Petro, qui eam per aliorum ſibi ſuccedentium Pontificum manus ad Leonem inviolabili jure tranſmiſerat. Suffragatur haud multum à Leone tempore diſſitus uno, tantùm interpoſito Hilario Sardo, Romanus Pontifex Simplicius Tiburtinus. Epiſt. 1. & 3. ad Zenonem Imperatorem, in qua ſic *Perſtat in ſucceſſoribus*

 ſuis,

ſuis, (id eſt, ipſius Petri) *hæc & eadem Apoſtolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit.* ET EPIST. 3. ad Acatium. *Quia Sanctæ memoriæ Prædeceſſorum noſtrorum extante doctrinâ, contra quam nefas eſt diſputare quiſquis rectè ſapere videtur, novis aſſertionibus non indiget edoceri.* Ejuſdem modi habet Epiſt. 9. & 13. ad Zenonem Auguſtum. Tertius ſe addit Comes Gregorius Magnus, ingens ſuo nomine pondus trahens.

Nemo ſolidiùs, nemo videniùs, nemo in copioſius de Pontificia authoritate tractavit. Ubi que occurrunt exempla, ſed quoſdam illuſtriorum locos deſignabo. Epiſt 24. & 71. & lib. 2. Indict. p. 11. Epiſt. 7. & lib. 4. Epiſt. Epiſt. 54. & lib. 7. Epiſt. Epiſt. 125. & ſuper 5. Pſalm. Pœnitent. & Homil 21. in Evangel. & alibi ſæpe. Pauca in rem profero. lib. 6. indict. 15. c. 37. alias 201. ait: *Quis eſt qui neſciat Sanctam Eccleſiam, in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam?* & l. 7. Epiſt. 123. *Quæ ſemel Apoſtolicæ Sedis Authoritate Sancita ſunt nil egent firmitatis.* Ita duobus hiſce locis Petri & ſucceſſorum unam & eandem eſſe Firmitatem & authoritatem comprobavit.

Hæc teſtimonia ſuſpecta videri non debent, imo ſi rectè calculum ponamus, juſta et idonea, quod propter Heterodoxos dico, qui infirmant. Nam iis ego illud impingo. Cum hiſtoriam Regum ſuorum ſcribunt, eò ſibi majorem fidem conciliant, quòd præmonent, ſe Regia Tabularia, & Autographa in iis ſervata conſuluiſſe, perinde ac plus fidei mereantur, cum tamen ipſorum Regum man-

mandata, & ſcripta: & quædam ab ipſis & confecta, et obſignata ſint. Quod ſi quis illarum Chartarum authoritatem elevet, ſuccenſent, et ferre non poſſunt. Quâ fronte igitur tot Pontificum Sanctiſſimorum teſtimonia ex arcanis veterum tabulariorum viſceribus deprompta impugnant, et irrident, cum præſertim ab ipſis ſint Authoribus partim ſcripta, partim dictata. Omnia certè bona fide publici juris facta. Si fidem habui volunt Diplomatis Regum iiſque tanquam incorruptis teſtimoniis utuntur, cur quæſo elevant Authoritatem ſummorum Pontificum in Chartis illis Virginibus illibatâ fide cuſtoditis clauſam? Igitur aut credant noſtra, aut non credant ſuis: nec velint Religioſiores erga Regum ſuorum Diplomata, quam erga Pontificia Decreta: cum nec illi Reges illos priſcos niſi famâ et traditione noverint, quorum venerantur monumenta. Pergo. Hujuſmodi ſupremam quæ in Petro fuit authoritatem in Pontificibus Sedis Romanæ manſiſſe Conciliorum calculis confirmemus. Generalibus maximum pondus ineſt. Horum primum produco. Nicenum Can. 2. ſic. *Epiſcopi in gravioribus Cauſis liberè Apoſtolicam appellent Sedem, atque ad eam quaſi AD MATREM confugiant.* Quæ Mater eſt ubera habet; ut alat Infantes. An non id Petri propriùm cui dicitur *Paſce Oves meas*, qui dicit *Quaſi modo geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite*? At non ea ſub Petro tum, ſed ſub Julio I. *Mater* erat. Et Can. 39. in Canonibus ex Græco & Arabico tranſlatis: *Ille qui tenet Sedem Romæ Ca-*

put eſt, Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipſe eſt primus SICUT PETRUS, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes Populos eorum, ut qui ſit Vicarius Chriſti ſit ſuper cunctos Populos & Univerſam Eccleſiam Chriſtianam. Igitur quicunque Petro Succedit *SICUT PETRUS* Vicarius eſt Chriſti; atque adeo vice Chriſti, qui veritas eſt, veritatis eſt Aſſertor et Promulgator: etſi Author eſſe non poſſit. Concilium Epheſinum ſic Epiſt. ad Cœleſtinum Tom. 4. Synodi c. 17. *Eſt enim vobis in more poſitum, ut in omnibus celebres ſitis, ſtudiaque veſtra ſolida Eccleſiarum firmamenta conſtituatis.* A *Firma* & *Solida Petra* Petro *firmamenta ſolida* Summi Pontifices appellantur. Clarius & luculentius Chalcedonenſe Concilium Leoni I. Magno teſtimonium reddidit. Act. 2. lectis Leonis litteris, Patres unanimi omnes conſenſu congregati dixerunt: *Ita credimus. Petrus per Leonem ita locutus eſt.* Et in fine Action. 15. à Fr. Laurentio Surio relatæ de eodem Leone. *Alia omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Apoſtolici Throni.* Et ſupra dixerat: *ſecundum Claves à Domino definitas.* quæ ex D. Thoma Surius citat. Octava Synodus Sedes Romana vocatur, *ſedes Petri Principis Apoſtolorum.* Ita definitum à Concilio Florentino in litteris unionis: & à Tridentino Seſſ. 6. c. 1. Et quidem de Authoritate doctrinæ agebant. Hanc ſtatuunt Concilium Romanum 1. ſub Sylveſtro: & Romanum 3. & 4. ſub Symmacho.

& Concilium 4. Aurelianenſe c. 1. & Carthaginenſe, et Milevitanum ſub Innocentio 1. & Africanum ſub Bonifacio c. 35. Idem Turonicum 2. c. 21. Bracharenſe 1. c. 18. 22. 23. Toletanum 1. in Aſſert. Fidei. & 3. Can. 1. ſub Pelagio 2. Ex quo apparet hanc Petri Prærogativam ad ſucceſſores cum dignitate pariter tranſiiſſe.

Id verò aliis fortiſſimis argumentis confirmatur.

Primùm eſto ab ipſa Regum inſtitutione petitum quod ſupra tetigi. Nam quæcunque ſibi Reſpublica Reges conſtituit, etſi unum hominem ſingularem creaverit, eo ipſo tamen voluit, ut ad ſequentes Reges eadem dignitas, & Poteſtas Regia perveniret: imo & ipſi eam Reges jure ſuo, uti quiſque ſuccederet, vindicabat. Ita Judices primum apud Hebræos, ita Reges deinde, nec tantum ij qui jure hæreditario & ſanguinis, uti Reges Judæ, ſed etiam qui aut electionis judicio, aut vi armorum Regnum vindicabant, uti Iſrael. Ita Duces poſtea uſque ad Hyrcanum in ſacris litteris Rempub. geſſerunt. Hac ratione Romæ Reges, Conſules, Imperatores, pari acceptâ & traditâ poteſtate imperarunt. Id omnes Populi ex quo cœpti ſunt ab uno vel pluribus regi rem altè repetendo eveniſſe comperient. Fuerunt ſanè qui ambigerent, An quis jure occupaſſet imperium: nemo tamen, qui ſemel rectè & ritè capeſſeret, de eo An integram poteſtatem accepiſſet, dubitavit.

Secundum eſto à Summorum Pontificum iuſti-

tutione ac ſerie deductum. Ex quo enim Aaron Inauguratus eſt Pontifex : dum ea floruit Reſpub. ad Hyrcanum, imo et ad Caiphàm et Ananiam Par omnium qui ſunt deinceps inſtituti Pontifices dignitas fuit. Hæc verò non nuda, ſed ſuis ornata prærogativis per manus eſt ſuccedentium tranſmiſſa. Nec enim ſolum in familia Eleazar uſque ad Ozi Abnepotem, ſed & in Familia *Ithamar* quæ in Abiathar Abnepotem Heli deſiit, integra & illibata dignitas viguit. Quæ etiam tempore Regum ad Captivitatem uſque Babylonicam ad Eleazari rurſum revocata Poſteros, per tredecim (tot enim ſunt) à Sadoc ad Saraiam Pontifices perduravit. Poſt Captivitatem, libertate Judæis, & Patriâ reſtitutâ iterum Pontificia dignitas revixit, & ad Machabæorum uſque ætatem à Joſue Joſedeci Filio ad Joannem Hyrcanum Simonis Filium duorum ſupra viginti Pontificum ſeries eſt perducta. Poſtea etſi conciſa, & malis artibus, quod jam antea teracciderat, contaminata, non ideo tamen gradu cecidit, ſed in eo ſtetit, & ſuam Prærogativam retinuit. Nam niſi retineret Caiphas Pontifex non prophetaret, nec Paulus Ananiam cui maledixerat dolens reveretur. Qua de re proximâ quæſtione dicemus. Nunc ſatis eſt ex hujuſmodi exemplo colligere: quod Synagogæ conceſſum fuit, id Romanæ Eccleſiæ non negandum: ſum ea ſit Unica Columba, & ſponſa Chriſti cum quo unum Corpus efficit, & Fide conjuncta, & Amore copulata.

Tertium

Tertium eſt abipſa experientia ſumptum. Videmus enim quam Firmitatem Chriſtus Petro, ac in eo Eccleſiæ ſuæ promiſerat, eam in Romana Sede ejuſque Epiſcopis impletam. Si enim oculorum aciem ad reliquas quæ Principes habitæ, et Patriarchales Eccleſiæ, convertamus, perſpiciemus omnes unam poſt aliam corruiſſe; Nullamque earum præter Romanam hodie ſupereſſe. Sanè Hieroſolymitana Eccleſia haud ita multò poſt Chriſti mortem graſſante ferro cum ipſa eſt urbe everſa. Antiochena, & Alexandrina diutius, ſed non multis ſeculis manſerunt. Conſtantinopolitana, uti Romana altera, longius latiuſque floruit. Sed tãdem deſiit, & à Bonifacio IV. cum Hieroſolymitana reſtituta vigere tamen diu non potuit. Sola Romana ſuper Petram fundata perſtitit immobilis, nec ullis fuit unquam machinis expugnata. Imo ea paulatim creſcens magnitudine ſuâ complevit Orbem, & quod Romanum ſibi vendicavit Imperium, obtinuit, ut iiſdem quibus ſol ſpatiis regiones illa terminaret ſuas, & illud in eam Principis Poetæ, an Vatis, quadraret.

En hujus Petri auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.
Totumque una ſibi muro circumdabit Orbem
Antiquæ Fidei.

Nec alio ſæpius Patres adverſus Heterodoxos ac vehementius utuntur argumento, quàm iſto Perpetuæ

petuæ Firmitatis, & ſucceſſionis in Romana ſede Epiſcoporum continenti ſerie ad fidei vinculū apte deductorum: quemadmodum quæſtione proximâ videbimus. Itaque Divino Conſilio providit Deus ut in Romana Eccleſia tanquam Aurea Catena è Cœlo ad nos demiſſa, Homericâ meliore, jam inde à Petro poſt vincula, perpetua Pontificum inſtar Annulorum, ſibi nexorum, & cohærentium ſeries ad noſtra uſque tempora perveniret. Similitudine eò libentius utor, quòd video rem continere. Nam in vinculis *Petri* illud haud temerè obſervo. Cum Eudocia Imperatrix Hieroſolymitanam Catenam *Romam* ad *Pontificem* miſiſſet: iſque eam cum Romana contuliſſet, ſubito ſibi hæſiſſe, & unam ex duabus extitiſſe. Perinde ac Poteſtas Ligandi Petro à Chriſto data in Judæa, cum Romana ita connecteretur, ut in unam coaluiſſet. Unde *S.* Petri ad Vincula Romæ ſolennitas & Eccleſia conſtituta.

Quantum etſi Profanum quiddam contineat aptum videtur, & nobile argumentum. Singuli quique Sectarum Philoſophicarum Authores, cùm eas inſtituiſſent, ſcholas erexerunt, in quibus diſcipulos erudirent, qui ſibi ſuccederent, et quam acceperant doctrinam continuarent, ne interirent, ſed in poſterum perennarent. Id primum Pythagoras in Italia, ut Italicam: id poſtea Plato Athenis in Academia, ut Academicam: id deinceps Ariſtoteles in Lyceo ut Peripateticam: Id Zeno in Porticu, ut Stoicam: id Epicurus in Hortis, ut Epicuream conſer-

conſervaret: delectis præſtantibus ex diſcipulorum numero præceptoribus egerunt, nè ſui nominis memoria, & documenta rectæ intercidèrent, cum omnes illæ umbratiles eſſent & fucatæ, quædam etiam futiles, aliquæ à recta ratione & libero homine alienæ. Quod ſi ii tantô ſtudio & ſolicitudine id curarunt, quomodo Chriſtus vera Patris Sapientia, & germanæ ac ſolidæ doctrinæ Author, cum Eccleſiam ſuam inſtitueret, & in ea Cathedram locaſſet, ſoli Petro regendam traderet: nec quicquam de ſucceſſoribus in poſterum cogitaret? Cum præſertim eâ quam docuit Fide, ac juxta eam vivendi ratione ſalus æterna hominum niteretur. Pudeat Heterodoxos, quorum nonnulli ingenio & ſcientiâ valent, ſectarum gymnaſia Dei Eccleſiæ anteponere: negare erubeſcant à Chriſto minorem habitam eſſe Firmitatis Eccleſiæ ſuæ, quam à prophanis illis Philoſophis Sectarum ſuarum habita fuerit rationem, cum turpe ſit ac ineptè dicere miſeros mortales, fragiles & caducos, de Immortalitate ſcholarum ſuarum cogitaſſe: Chriſtum verò Æternum Dei Filium hanc de Eccleſia ſua ſtabilienda curam abjeciſſe. Maneat igitur Chriſtum Dominum ita Petrum Eccleſiæ Catholicæ Caput & Principem inſtituiſſe, ut vellet poſt eum ſucceſſores fore, qui Petri Perſonam ſuſtinerent, eâdemque dignitate & authoritate fruerentur: & in quibus eadem Fidei firmitas & Doctrinæ Puritas remaneret.

QUÆSTIO II.

De Infallibilitate Authoritatis Pontificiæ.

ARTICULUS I.

Pontificum Succeſſio, & unius in iis & cum iis doctrinæ conſenſio Authoritatem Confirmat.

CUm Eccleſia Chriſti unum ac Virgineum Corpus ſit: una item ſit oportet & Fides & doctrina, qua membra nectantur, & in unum Corpus coaleſcant. Neceſſe autem eſt, ut hoc corpus ſuum caput habeat; quod cum eminrat dignitate, nexu Fidei cetera membra contineat, & juſtum cum iis corpus efficiat. Aquo qui diſſiliat intra Eccleſiam eſſe non poſſit. Itaque ex communione Unitatis argumentum ſumitur, ut qui ſcire velit, An ſit in Corpore Chriſti, is omnino tenere debeat, An cum eodem in Fide doctrinaque concordet. Unde item ſequitur, ſi una & incorrupta eſt Fides, in quo ea corpore fuerit puram & illibatam eſſe, nec poſſe aliquâ ratione corrumpi.

Igitur

Igitur ſi probem Fidem Catholicam ex communione cum Romana Eccleſia, & hanc ex perpetua in ea Pontificum ſucceſſione firmari, efficiam, ut appareat & Pontificum Fidem, et Authoritatem nunquam defeciſſe. Nil itaque frequentius occurrit in Patribus, quàm iſtud ex ſucceſſione in Romanam Cathedram Pontificum pro unitate ac Firmitate Fidei argumentum: quod ſane firmum non eſſet, ſi ii in rebus Fidei errare fallive potuiſſent. Quid enim quæſo intereſſet ad probandam Catholicæ Eccleſiæ veritatem ſeries illa continuata Pontificum, niſi ii non magis inter ſe connexi, quam in Fide concordes extitiſſent: non enim, opinor, loci & numeri, ſed ſenſus et doctrinæ ratio habetur. Quare cum Petri Fides et Authoritas, quemadmodum ante oſtendimus fuerit firma et infallibilis, quia erat ejus Eccleſiæ Caput & Paſtor, quæ oves omnium Fidelium continebat: ita et qui Petro eo in munere ſucceſſerunt, ſimilem cum Cathedra, et poteſtate Fidem et Authoritatem habuerunt, ac de ſingulis intelligitur illud Chriſti à nobis ſupra adductum, & explicatum. *Oravi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua, et tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* Incipiamus à Martyre, quem Auguſtinus glorioſiſimum vocare ſolet, Cypriano. Is Epiſt. 40. circa medium. *Una Eccleſia & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata.* En fundamentum; Succeſſionem Irenæus auſpicetur. lib. 3. contra hæreſes cap. 3. *Quoniam longum eſt omnium Eccleſi-*

arum numerare ſucceſſiones maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ *eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per Succeſſionem* Epiſcoporum *pervenientem uſque ad nos indicantes, omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim* Eccleſiam *propter Potentiorem Principalitatem neceſſe eſt omnem convenire* Eccleſiam : *hoc eſt, eos qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Ecce ſucceſſio, et in ſucceſſione traditio ejuſdem Fidei à Petro acceptæ, et à Paulo confirmatæ. Quæ ſi in quoquam Pontifice defeciſſet, non conſtaret ſucceſſionis argumentum. At valet illud, quia teſte Ruffino in principio Expoſit. Symboli. *Neque hæreſis ulla illic ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus.* Idcirco ad Donatiſtas Auguſtinus in Pſalmo contra Partem Donati. *Dolor eſt* ait, *eum vos videmus præciſos ita jacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo patrum quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra quam hoc vincunt ſuperbæ inferorum Portæ.* Succeſſores Petri Pontifices Romanos jubet inſpici, et in eos intuendo Fidem Petri agnoſcere à Petra ductam, et in ſucceſſoribus conſervatam. Quare optimè Tertullianus lib. de Præſcript. c. 36. *Habes* inquit *Romam unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Sanc felix*

felix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Succeſſionem autem Pontificum Romæ, quam ſedem Authoritatis eſſe vult, proponit lib. 5. contra Marcionem, ubi loquens de Apoſtolorum diſcipulis, qui *Succeſſere per Orbem* pergit Romanos à Petro Pontifices numerare.

Ex quibus electum magnum plebique probatum
Hac Cathedrâ Petrus, quâ ſederat ipſe locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit.

& uſque ad Teleſphorum decurrit: & addit

Conſtabat pietate vigens Eccleſia Romæ
Compoſita à Petro, cujus ſucceſſor & ipſe
Jam que loco nonò Cathedram ſuſcepit Hyginus.

Et alios deinde recenſet. Libro de Præſcription. Eleutherii mentionem facit: & *Doctrinam Eccleſiæ Romanenſis Catholicam* dicit. Eandem ſucceſſionem ſæpe inculcat Optatus Milevitanus contra Parmenianum Donatiſtam. Unum locum lib. 2. dabo. *Videndum eſt, qui & ubi prior Cathedra ſederit.* Tum infra, *Negare non potes ſcire te in urbe Roma Petro primum Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, in qua unâ Cathedra Unitas ab omnibus ſervaretur.* Quomodo autem ſervaretur Unitas, ſi quis Pontificum à Fide defeciſſet? Nemo itaque disjunctus & avulſus. Unde ſequitur: *ergo Cathedra Unita quæ eſt prima de*

dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, & deinceps uſque ad *Siricium* Concinit ex Græcorum Choro Epiphanius: qui cum in Anchorato dicat Petrum & Petram firmiſſimam eſſe, et Fundamentum Romanæ Eccleſiæ firmum jeciſſe: Hæreſi 27. circa finem ſeriem Romanorum Pontificum accuratè refert, et ex ea ſucceſſionem Doctrinæ deducit, ſubditque. *Ne quis miretur, quod ſingularia ita exactè recenſemus, per hæc enim ſemper claritas oſtenditur.* Lumina igitur ſint oportet omnia, ex quibus claritas exiſtit. Accinit Hieronymus lib. de ſcriptor. Eccleſiaſt. Pontificum ſerie evolutâ. Eodem argumento utuntur Pontifices ipſi, cum authoritatem ſuam vindicare, & doctrinam confirmare volunt. Ita Anicetus Epiſt. unica. Eleuther. c. 6. Victor Epiſt. 1. ad Theophylum. Zephyrinus Epiſt. 1. Anterus Epiſt. ad Epiſcopos Bætic. et Toletan. Fabianus Epiſt. 1. Sixtus II. Epiſt. 1. Melchiades Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Innocentius I. Epiſt. 31. et 32. ad concilia Carthag. et Milevit. Zozimus ad Heſichium. Bonifacius ad Hilarium, et ad Epiſcopos Galliæ. Cæleſtinus 1. epiſt. 4. ad Conſtantinopol. Eccleſiam, Leo Papa Sermonibus de Aſſumpt. ſua. Simplicius Epiſt. 1. ad Zenonem. Epiſcopum et Epiſt. 3. ad Zenonem Imperatorem. Et Epiſt. 5. ad Acatium: alii quæ pene omnes. Quibus id propoſitum eſt, ut ex ſucceſſione in Cathedram Authoritatem & Doctrinam ſuam probent, & vindicent: quod ea non poſſet

colligatio

colligatio everti Chriſti verborum nexu copulata.

Nemo tamen hoc argumentum copioſiùs verſavit Auguſtino adverſus Donatiſtas, Novatorum Patriarchas, diſputans: quos omnes tam accuratè exactéque confutat, ut præſentes oculis vidiſſe, futuros mente prævidiſſe, & in eos quæ tum jaciebat tela deſtinaſſe animo videatur: quod obſervant quotquot fermè contra Novatores pro Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ veritate ac dignitate pugnant. Ex quibus vir graviſſimus Maldonatus ſic c. 13. Matthæi n. 47. *Soleo dicere Divum Auguſtinum nullum hæreticorum genus tam ſtrenuè, atque Donatiſtas refutaſſe, & illos tot libros quot adverſus illos compoſuit, non tam contra illos, quàm contra longe poſt futuros Lutheranos & Calviniſtas compoſuiſſe: tantum opus eſſe, ut qui eos legit pro Donatiſtarum, Calviniſtarum, & Lutheranorum nomen ponat.* Id ego ſum legendo expertus. Nolo autem omnes locos commemorare, nam infinitum id eſſet. Seligo qui loco hæreant, & cauſam maximè remque contineant. Igitur omiſſo loco Pſalmi contra partem Donati de quo ſupra, in lib. 2. contra litteras Petiliani c. 51, urgens hæreticum: *Cathedra quid*, inquit, *tibi fecit Romana? In qua Petrus ſedit in qua nunc Anaſtaſius ſedet.* Et Epiſt. ad Generoſum 165. *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiam figuram gerenti Dominus ait, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Petro*

enim

enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus, &c. Id ipſum verſat lib. 1. cont. Epiſt. Parmen. c. 5. & lib. 2. contra Fauſtum. c. 2. In lib. item contra Epiſtolam Fundamenti c. 4. magnum apud ipſum pondus habet. *Ab ipſa ſede Petri, cui paſcendas Oves ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendavit uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Eandem firmat lib. de utilitate credendi c. 17. Fatetur Auguſtinus ſe hoc ad Fidei doctrinam ſuſtinendam magnopere argumento moveri: quod ad confirmandam infallibilem Pontificum Authoritatem me quoque maximè movet. Nam niſi omnium una & certa Fides eſſet, nullius eſſet illa ſucceſſionis ſeries momenti ad Eccleſiæ Romanæ Doctrinam aſſerendam: neque tantopere Communio cum ea Sede cæteris commendaretur. Signum igitur eſt: Divinum in ea Sedi aliquid reſidere, quod occultè inſpiret quid ad Univerſæ Eccleſiæ doctrinam & Regimen pertineat. Itaque in illa continenti Pontificum ſerie Traditio Diſciplinarum fundatur. Hanc verò demonſtrare in Romana Sede pergamus.

Teſtis locuples eſto Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum. *Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicunque extra domum hanc agnum comederit profanus eſt.* Et in Apolog. contra Ruffinum l. 1. *Fidem ſuam quam vocat? Eamne qua Romana pollet Eccleſia? An illam quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam*

manam respondet. Ergo Catholici sumus. Perinde est esse Romanum, & esse Catholicum. Nam Eusebius Papa. *Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica servata Religio.* Observa illud *Extra maculam.* Est enim Ecclesia *tota pulchra*, in qua *non est macula.* Inesset autem si quis Pontifex ipsius Caput, errore esset aliquo maculatum. Aurum est Optimum Caput illud; dum caput est; ac uti ad totum & publicum Corpus pertinet nullis sordibus inquinandum. In quam mentem Gelasius ore aureo Epist. ad Anastasium Augustum. *Hoc est quod Sedes Apostolica magnopere tavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa Confessio, nullâ rimâ pravitatis, nullâ prorsus contagione maculatum. Nam si, quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus præberemus?* Consentit Ambrosius lib. de obitu fratris Satyri versus finem de quo ait, *Advocavit ad se Episcopum, neque ullam veram putavit nisi veræ Fidei gratiam, percunctatus que ex eo est Utrum eam cum Episcopis Catholicis, id est, cum Romana Ecclesia conveniret.* Lib. autem 1. Epist. 4. ad Imperatores Epist. 1. ita scribit, *Totius Orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Apostolorum Fidem ne turbari sineret observanda foret Clementia Vestra: inde enim in omnes Communionis jura dimanant.* Idem confirmat Serm. 2. de Sanctis qui est de Cathedra Petri: & Serm. 11. qui est secundus de Petro & Paulo, in quo

de Romanæ Ecclesiæ firmitate in Fide loquitur.

Quæ si in aliquo nutaret Pontifice infirmum esset Fundamentum: & Ædifice impleta laboraret, saltem non esset ea Communio certa, constansque. Id Theodoreti testimonio confirmo: Epist. ad Leonem Papam. *Eam* (id est Romanam Ecclesiam) *insigniter exorciat Fides, & fide dignus testis Divinus Apostolus, qui clamat: Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Et Epist. ad Renatum Presbyterum Romanum, quam gravissimi Authores citant. *Tenet Sancta ista Fides gubernacula regendarum cuncti Orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers permansit.* Nemo igitur non Pontifex Christi bonus odor fuit cum Pastoris & Capitis Ecclesiæ personam sustinuit. Ita idem censet Theodoretus de Leone æquali suo Romæ Sedente in eadem ad ipsum justa Epist. Cum enim dixisset. *Vobis per omnia primos esse convenit: vestra enim Sedes est omnium maxima & præclarissima, & quæ præest Orbi terrarum.* Illata mentione Petri & Pauli addit in rem nostram: *Illorum autem Deus nunc quoque Sedem claram insignemque reddidit, cum vestram Sanctitatem in ea collocaverit quæ radios Fidei Orthodoxæ emittit.* Expertem illam Cathedram esse errorum docet antiquus Pater Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium Papam. *Romanorum Fides Apostolo prædicante laudata est ad quos Perfidia habere non possit accessum.* Id urget ex Communione cum Papa Romano. Ait enim Epist. 76. ad Magnum. *Ecclesia una est, quæ una & intus & foris esse non potest.*

Col-

Colligit autem. *Si apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit: si verò apud Cornelium fuit, qui Fabiano legitimâ ordinatione successit, Novatianus in Ecclesia non est.* Non solum excludit Novatianum quòd cum Cornelio & Fabiano Romanis Pontificibus non sit; sed hos Catholicos supponit esse, quòd in Romanam sint Sedem admissi: quasi ea Sedes non nisi Catholicos admitteret, ac de ipsis nemo, quin tales essent, dubitare posset. Hinc est ut decreta, seu Dogmata à Pontificibus edita Oracula duxerint Episcopi Tarraconensis Provinciæ Epist. 2. ad Hilarium Papam. *Proinde nos, inquiunt, Deum in nobis primitus adorantes, cui sine querela servitis, ad Fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Totum dixit, ne quid ex iis sibi Error Falsitasve decerperet. Ex integro sanum & firmum est, quicquid ex eorum Cortina solenni formula recitatur. Id Beda venerabilis Angliæ Augustinus, Heroicis illis temporibus novit, & prædicavit lib. 3. de Histor. Angl. c. 26. in fine ore Wilfridi: *Si audita Decreta Sedis Apostolicæ: imo universalis Ecclesiæ, & hæc litteris Sacris confirmata sequi contemnitis, absque ulla dubietate peccatis.* Idem omnino in Gallia Bernardus, quod in Anglia Beda sensit, & majore adhuc vi protulit. Ita enim Epist. 109. ad Innocentium, in qua ejus Authoritatem adversus novam tunc surgentem hæresim implorat. *Oportet* inquit ad vestrum referri Apostolatum peircula quæque & scandala

emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum sarcinam Fidei & BINON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTUM HÆC QUIPPE hujus Prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est. *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat Fides tua, Ergo quod sequitur à successore exigitur, & tu aliquando confirma Fratres tuos.* Disertè disertissimus Doctor ait, Deficere Pontificum Romanorum Fidem non posse: eamque virtutem Cathedræ inesse. Quare qui in eam successerunt, & ex ea sunt locuti, omnino ob Christi Privilegium vera dixerunt. Hoc Anselmus quoque lib. de Incarnat. ad Urbanum Pontificem testatur scribens c. 1. *Quoniam Divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & Fidem Christianam custodiendam & Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Fidem Catholicam oritur in Ecclesia, ut ejus authoritate corrigatur.* Non tam rem hic quam rationem observo; statuit qui Ecclesiam Pontifex regat, eũ, quòd illius sit Rector authoritatem ad errores corrigẽdos habere. Hac ducti & veteres & novi Catholici Scriptores, qui in quancunq; ætatem incidissent, quemcunque nacti essent Papam, ei eandem Fidei firmitatem authoritatemque tribuebant: donec aliter Luthero Boram subanti visum. At quis purissimam Ecclesiam nisi sordidissimus contaminaret? Et tamen sunt quos non pudeat Authorem sequi, cujus ne nomen quidem sine rubore

pro-

proferri potest. Ego sanè possem catenam Authorum id sentientium, quemadmodum Pontificum succedentium, deducere, & unam alteri conferre, & nectere quæ ego quidem pluris facio vincula, quàm Heterodoxi libertatem: qui sciam proprium esse Fidei *Captivare intellectum in obsequium*: non solvere in audaciam. Itaque nos Gratia liberat, sed captivat Fides.

Adjicio ultimum Calculum judicio Augustini. Hic successione Pontificum præcipuè utitur, & in illa multorum serie unius veritatis consensionem agnoscit, soletque præjudicio ejus, qui antecessit, alterius qui successit judicium confirmare. Ita l. 2. de Grat. Christi & Peccato Originali commemorans Pelagij & Celestij damnationem, probat Sententiam Zozimi Successoris Innocentij, ex ejusdemmet Innocentij latâante Sententiâ, ac ex utriusque inter se consensione demonstrat, nec posteriorem à priori dissentire, nec utrunque consentientem errare potuisse: imo & Papa ipse Zozimus credidit tantum momenti esse in Prædecessoris sui judicio, ut eo usus fuerit ad convincendum confutandumque Celestium. Audiamus Augustinum c. 7. *Hanc ejus* Celestij *prælocutionem venerabilis Papa Zozimus tenens egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ litteris quæ à sanctæ memoriæ suo Prædecessore manaverant præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed Beati*

ti Papæ Innocentij litteris non eſt cauſus obſiſtere : imo ſe omnia quæ SEDES ILLA DAMNARET DAMNATURUM ESSE PROMISIT. *Plura præſtitit quam ego promiſi Auguſtinus*, cum apud eum vel damnatus Celeſtius Romani Epiſcopi Papæ judicio ita ſe ſubmiſerit, ut contradicere non auderet, ejuſque ſententiam non unius hominis, ſed Romanæ Sedis eſſe putaret. Nondum Hæretici pudorem abjecerant; ſed noſtri & frontem quoque depoſuerunt: & cum corpori curando ſtudeant, honeſtiſſimam ejus partem præciderunt. Pergit Auguſtinus. c. 8. idem in damnato Pelagio monſtrare. *Pelagius*, inquit, *feſellit judicium Paleſtinum* in Concilio: *Romanam verò Eccleſiam fallere uſquequaque non potuit.* RECOLUIT ENIM BEATISSIMUS PAPA ZOZIMUS QUID IMITANDUS PRÆCESSOR EJUS DE IPSIS SENSERIT GESTIS. Et adductâ c. 9. Epiſtolâ Innocentij ait: *Videtis in his verbis quemadmodum Papa Beatiſſimus Innocentius non tanquam de incognito loqui videatur? Videtis qualem tulerit de illius purgatione ſententiam? Videtis* quid SUCCESSOR EJUS *Sanctus Papa Zozimus recolere debuerit, ſicut recoluit, ut in eo* SUI PRÆDECESSORIS JUDICIUM *remotâ cunctatione firmaret.*

Illuſtrior adhuc eſt lib. 2. ad Bonifacium Auguſtini eandem damnationem reficantis locus. Etenim Bonifacio, qui Zozimo ſuccefferat, rem uti geſta erat exponens, quæ dixerat de conſenſu duorum Pontificum Innocentij & Zozimi rurſum

sum confirmat cap. 3. & 4. Ac illud inter alia præclarè. *Cum litteris venerabilis Innocentij de Parvulis, nisi baptizarentur in Christo in æterna morte manſuris* (de quo erat controverſia) *Catholicæ Fidei clareret Antiquitas, profectò Eccleſiæ Romanæ prævaricator potius eſſet quicunque ab illa ſententia deviaſſet, quod Deo propitio, &c.* Cæterum illis in capitibus probat non potuiſſe inter ſe illos duos Pontifices in Romana ſedentes Cathedra diſſidere: perinde ac ea in Cathedra vis quædam Divinitus infuſa conſiſteret. Hanc recognôrat multò ante Auguſtinus in Concilio Milevitanô ſcribens ad Innocentium, ſic enim orditur: *Quia te Dominus Gratiæ ſuæ præcipuæ munere in Sede Apoſtolica collocavit, &c.* Imo & Innocentius à Patribus Carthaginienſis Concilij conſultus id prorſus confirmat: *Scientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus & tota Authoritas nominis hujus emerſit. Quem ſequentes, &c.* Idcirco Auguſtinus Donatiſtas hortabatur, ut ad Epiſcopos Romanæ Sedis oculos converterent, ac in eorum ſucceſſione Fidei quoque conſentientem obſervarent: causâ item commemoratâ, unde exiſteret vera, & certa conſenſio: *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede. Et in Ordine illo Patrum QUIS CUI SUCCESSIT VIDETE. Ipſa eſt Petra.* Hinc origo & Fons ſucceſſionis & firmitatis & Authoritatis. Omnium in ea Sedentium una

mens,

mens, una fides, una conſenſio. Nam niſi eſſet, una *Petra* non eſſet, ſed in multos diſſentiendo lapides diſſiliret. Auguſtinũ imitatur fidus diſcipulus Proſper: de iiſdem Pontificibus Innocentio & Zozimo, ac in eadem cauſa loquens, & eandem rationem inculcans. Contra Collat. c. 10. & c. 41. Coronidem Articulo Tertulliani Sententiâ impono. lib. de Præſcriptionibus cap. 28. *Cæterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum ſed traditum. Audeat ergo dicere aliquis illos erraſſe qui tradiderunt.*

ARTICULUS II.

Conciliorum Decreta, Authoritatem Pontificum, Approbationemque deſiderant.

NIhil eſt in Eccleſiâ grávius, nihil firmius, nihil Sacratius, ſecundum Scripturas Canonicas, quâm Concilia, tum apud univerſos Oecumenica, tum apud privatos Provinciália. Adeo ut vel ipſi Hæretici, qui omnem pene authoritatem arbitrio ſuo ſuſpendunt, & privato ſpiritui ipſum Deĩ verbum ſubjiciunt, Concilia plerumque ſuſpiciant eorumque Decreta venerentur.

Imo

Imo & ſuis ſeSynodis acConciliabulisadverſus juſta legitimaque Concilia tueantur. Quare ſi conſtet, Ipſa hæc quæ tantopere commendantur Concilia, Pontificum Authoritati favere, ea planè perſpecta & explorata eſſe debet. Nec ego nũc id in quæſtionẽ voco: Utrum ſit ſupra alterũ ? & utrũ Emineat Papa ne ? an Concilium? ab ea quippe abſtinendum; quòd non ſit ad id quod ſuſcipimus probandum, neceſſarium.

Primum igitur ſtatuendum: tantam eſſe Pontificis in Cõcilia authoritatẽ, ut quod præter Pontificis authoritatem inſtitutum ſit, & ab eo confirmatum non ſit, non ſit juſtum ratumve Concilium. Ita Damaſus Papa definit in Epiſt. ad Stephanum Archiepiſcopum, & tria Concilia Africana in Epiſt. ad eundem Damaſum. Fatentur ipſamet Concilia, Septima Synodus. Actione 6. Tom. 1. Octava Synodus Actione 1. & 7. & Synodus Romana ſub Symmacho. 96. diſt. C. Benè. & Synodus 90. Epiſcoporum ſub Damaſo. Hiſtor. tripart. c. 29. Concilium Lateranenſe ſub Leone 10. Seſſ. 11. ubi hoc ipſum dicitur in Synodo Alexandrina definitum. Hanc eſſe Niceni Concilij conſtitutionem dixit Julius 11. in Epiſt. ad Orientales, altiuſque aſcendens Marcellus in Epiſt. ad Antiochenos ait Apoſtolorum eam Sanctionem fuiſſe. Socrates lib. 4. Hiſt. Trip. c. 9. tradit Regulam Eccleſiaſticam jubere, ut Concilia inconſulto invitoque Pontifice minimè celebrentur. Id ipſum oſtendit Gratianus decimâ ſeptimâ diſt. cap. *Regula.* & cap. *Multis.*

Sed ad expreſſa teſtimonia veniamus. Concilium Nicenum lib. 3. Canonum. juxta Julium. 1. Epiſt. 2. Can. 1. *Non debent* inquit *præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et quoad confirmationem doctrinæ extat Epiſt. Synodi ad Sylveſtrum Papam in qua illuſtris quædam fax eſt, *Quicquid conſtituimus precamur ut veſtri oris conſortio confirmetur.* Quibus ita precantibus reſpondet Sylveſter: *Confirmo, figoque ad doctrinam veſtram reclamantes de unitate Trinitatis.* Et paulo poſt. *Probo vera fuiſſe quæ in veſtrum noſtrumque manavere myſterium.* Quanta oportuit eſſe Authoritas Pontificis tanto concilio robur addentis? Sanè ex Divinis fontibus hauſtum quod in eos Patres viva Eccleſiæ flumina redundavit. Concilium Epheſinum ſummam in Romano Pontifice Authoritatem & in ſtatuendis & confirmandis Decretis hiſce verbis expreſſit in Epiſt ad Cœleſtinum Papam, quæ habetur tomo 4. c. 17. *Eſt vobis*, inquit, *tam eximius in more poſitũ ut in omnibus celebres ſitis, ſtudiiq; veſtra ſolida eccleſiarum fundamenta conſtituatis.* Perinde ac ſolemne eſſet Pontificibus ſtudiis ſuis firmare Eccleſiæ doctrinam. In hanc mentem pergit dicere: *Quia verò neceſſitas exigebat, ut omnia quæ in hac Synodo acciderunt Sanctitati tuæ declararentur, non potuimus hiſce noſtris litteris ad tuam Sanctitatem non perſcribere.* Quæ tandem illa neceſſitas eſſet proxima verba oſtendunt, nimirum quia illi Synodo opus erat approbatione & confirmatione Pontificiâ. Patet autem ex tomo 2. c. 15. litteras à Cœleſtino

leſtino ad Patris Concilii datas reverenter ab iis acceptas, & documenta iis contenta ad unguem ſervata, ipſumque uti Caput Eccleſiæ agnitum receptum que fuiſſe. Extant Philippi unius ex ipſis verba: quæ loco hærent: *Gratias agimus Sanctæ reverendæque huic Synodo, quòd literis Cœleſtini Sanctiſſimi Beatiſſimi que Papæ recitatis, Sanctæ Eccleſiæ, ſanctis veſtris vocibus, piisque præconiis Sancto veſtro capiti vos exhibueritis: non enim ignara eſt veſtra Beatitudo, totius Fidej cæterorumque omnium Apoſtolorum Caput Beatum Petrum Apoſtolum extitiſſe.* Idem que argumentum proſequitur. Quid? quod Ex actis omnino conſtat Cœleſtinum Papam Legatos ad id Concilium ſuos miſiſſe, quibus vices ſuas mandavit, ut ibi primas haberent.

In Concilio Chalcedonenſi ſub Leone 1. Magno. Mire emicuit Romanæ ſedis authoritas. Primum enim Legati Leonis, principem, uti par erat, dignitatis gradum habuerunt: ipſiusque judicio, controverſia, & cæpta, & terminata. Patet ex vebis Paſchaſii unius Legatorum Act. 1. *Beatiſſimi atque Apoſtolici viri Papæ Urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum præcepta habemus præmanibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus ut Dioſcorus Alexandrinorum Epiſcopus non ſedeat in in Concilio, ſed audiendus intromittatur.* Omne Authoritatis punctum tulit ille, qui in Concilio potuit præcipere: cuique omnes, (nam id eſt conſecutum) paruerunt. Nec mirum: cum Leo ſæpe Actione 3. ejuſdem Concilij *Univerſalis Patriarcha*

et Universalis Archiepiscopus appelletur. Ac in ea Julianus Episcopus ad Legatos papæ dicat, *Nunc vestra Sanctitas primatum tenet Sanctissimi Leonis*: & infra. *petimus Vestram Sanctitatem, qui habetis locum Papæ Leonis, contra eum* (id est Dioscorum) *Proferre sententiam.* An non hoc imperantis & Judicis est? & supremum sibi doctrinæ arbitrium jure vindicantis? Quid quæris? Act. 2. lectis Leonis Pontificis in Concilio litteris, Omnium ea & consentientium Patrum clara vox fuit. *Ita credimus*, PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST. Sanè iidem Act. 16. in Epist. ad Leonem in qua gesta Concilij commemorantur, aiunt. *Eum tanquam membris Caput præfuisse.* Ac infra petunt ea quæ decreta sunt in Concilio, Leonis authoritate firmari. Tandem in fine Concilii Tom. 2. hæc est sententia, qua nihil potuit illustrius inveniri. *Unde* inquiunt, *Sanctissimus & Beatissimus Papa Caput universalis Leo, per nos ut Legatos suos Sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ Fundamentum, & Petra Fidei & Cœlestis Regni Janitor nuncupatur Episcopali eum dignitate nudavit.* En supremæ Authoritatis Apex: in Universi conspectu Concilij judicare, definire cæteris consentientibus, illo uno absente per Legatos suos inspirante. Summa ejus esse potestas deprehenditur, cujus arbitrio cæteri omnes suspenduntur, nutuque temperantur. Hæc eadem constant ex Epist. Leonis 59. ad idem Concilium. & Epist. 58. ad Pulcheriam. Sic placuit Concilio Sardicensi c. 4. & 5.

Cujus

Cujus idonea & magna authoritas est teste Sulpitio l. 2. Histor. & Socrat. lib. 2. c. 6. confirmatur authoritate Athanasii Apolog. 2. circa initium. Et verò sicut membra capite reguntur & corde foventur, ita Concilia Papæ authoritate animantur.

Quare si qua sine Consensu & Authoritate Papæ Concilia cõgregata & habita sunt, illegitima, adulterina, imo & inanima fuerunt. Sic accidit Concilio Antiocheno contra Athanasium institutio. De quo sic Socrates lib. 2. Histor. cap. 5. *Nec Julius* inquit, *Romæ Episcopus in Concilio adfuit, neque quenquam qui ejus locum supplereret eo misit, cum utique Ecclesiasticus Canon jubeat non oportere absque Romani Pontificis sententia Decreta Ecclesiis sancire.* En necessitas Pontificiæ authoritatis: sine cujus animatu illud Concilium penè Cadaver fuit. Idem de eo tradit Sozomenus. lib. 3. c. 7. ubi rem illam copiosius narrat, aitque ad *Romanum Pontificem propter Sedis dignitatem curam omnium Episcoporum & Fidelium pertinere.* Simile vitium contigit Concilio Ariminensi, de quo sic Theodoretus lib. 2. Histor. c. 22. *Numerus Episcoporum qui erant Ariminum congregati præjudicij vim habere non debet: præsertim cum formula composita sit, neque Episcopo Romano cujus sententia expectanda erat, &c.* Et quanvis sexcentorum Episcoporum esset, nil illos numerus juvit, ad non errandum: cum sine Face Duceque convenissent, imo invito Liberio Pontifice operâ hæreticorum coactum Concilium illud fuisset:

isset: ut *Damasus* Epist. ad Africanos Episcopos, & Gelasius relatus dist. 15. cap. Sancta. Romana & Ecclesiastica Historia testantur. Nec minus erravit Concilium Constantinopolitanum Leone Imperatore, quod repugnante Pontifice congregatum, unde à Septima Synodo Generali 367. Patrum apud Nicæam reprobatum fuit. Hinc momentum causæ adjicio. Nam ideo Concilium Constantinopolitanum Primum 150. Patrum Damaso Pontifice certum & constans fuit: Alterum verò Leone Imperatore cum dimidio majus esset, incertum, & errore obnoxium extitit, quia illud & coactum jubente Pontifice, & ejusdem calculo approbatum: istud autem inconsulto, & invito Papa inchoatum, & nullatenus confirmatum legitur. Hinc illustris illa Concilij Turonici sententia *Quis sacerdotum contra Decreta quæ à sede Apostolica processerunt agere præsumat?* Et illustrior adhuc Gregorii Magni lib. 7. Epist. 19. *Acta in Concilio sine Apostolicæ Sedis authoritate atque consensu nullas vires habent.*

Ut tamen certa quædam ratio proponatur, quæ quasi norma tenenda sit: Tres Melchioris Cani summi Theologi amplectendæ sunt Conclusiones: Prima lib. 5. de locis, loco de Authoritate Conciliorum. *Concilium Generale quod authoritate Romani Pontificis nec congregatum, nec confirmatum est, errare in Fide potest.* Secunda: *Concilium Generale etiam congregatum Authoritate Romani Pontificis, errare potest in Fide.* Tertia: *Concilium Generale confir-*

matum

matum à Romano Pontifice, etsi ab eo vocatum non sit, certum omnino est, ac firmum in Fide, errareque non potest. Unde deducitur quanti sit momenti Authoritas Pontificia: nam cum præcipue in judicio, & definitione consistat: si hæc desit, Concilij veritas poterit deficere. Si adsit, non potest. In Confirmatione itaque Romani Pontificis omne pondus est. Quapropter in Concilio Ephesino II. congregato authoritate Leonis, imò ad id missis Legatis, Episcopi congregati Dioscoro Hæretico subscripserunt, ac cum eo planè erraruut. Verum & Legati tum restiterunt, & Leo postea refragatus est. Opus est igitur confirmatione, nec sufficit congregatio. Etsi enim hæc emanet à voluntate Pontificis, proprius Judicij actus non est. Confirmatio approbationem continet: quæ si desideretur, destituitur Authoritate idonea Concilium. Ita de illo Concilio Leo Epist. 12. & 13. & 21. 22. 23. 24. & Synodus 8. actione 7. & Nicolaus ad Michaelem Imperatorem. At verò Concilium à Pontifice confirmatum expers omnino est erroris, quòd à capite & Magistro Ecclesiæ approbetur: cui dixit Dominus in Persona Petri. *Confirma Fratres tuos.* Hâc interveniente, etsi congregatio non sit à Pontifice inerit Concilii Decretis certa & infallibilis vis authoritatis. In hanc rem nata illa Eugenij IV. in Decreto super unione Jacobinorum, postquam Synodum Ephesinam secundam proscripsit, Sententia. *Suscipit* ait, *Sancta Romana Ecclesia omnes Universales Synodos authoritate Romani Pontificis Legitimè congregatas, ac cele-*

celebratas, & confirmatas. Ubi optime Canus: *Non dixit congregatas ſolum, ſed celebratas & Confirmatas.* Imo tanta eſt Pontificiæ authoritatis virtus, ut concilia etiam Provincialia cum à Pontifice confirmantur, certam, & infallibilem authoritatem habeant: atque adeo in eundem Generalium locum tranſeant.

Id ut probemus, obſervandum eſt multos Hæreſiarchas in conciliis Provincialibus damnatos fuiſſe: & doctrinam contra eos traditam pro Catholica introductam & receptam: ſola acedente confirmatione Romani Pontificis. Itaque Concilium Carthaginenſe, & Milevitanum in quibus damnati ſum Pelagius & Cœleſtius, Toletanum, in quo Priſcillianus proſcriptus: Telenſe, in quo Elvidius exactus, Arauſicanum in quo Semipelagiani præciſi, quod à ſummo Pontifice ſunt rata & probata, certam & conſtantem authoritatem citra erroris, aut ſuſpicionis periculum habuerunt. Ne quis autem objiciat ea Concilia, non ideo quod à Pontifice ſint confirmata ſolennem authoritatem habuiſſe, ſed quod ab univerſis fidelibus paulatim recepta ſunt & tacite ab omnibus approbata, volo oppoſitis idoneis teſtimoniis objectionem avertere, & ſi intendatur retundere. Igitur Carthaginienſis Concilii Patres contra Pelagium & Cœleſtium congregati, cum eorum errores damnaſſent, ſententiam ſuam per litteras Innocentio I. Pontifici Romano expoſuerunt, rogarunt que ut Authoritate illam Apoſtolica confirmaret. Verba ſunt ejuſmodi apud Auguſtinum

guſtinum Epiſt. 90. *Hoc itaque geſtum Domine Frater Sanctæ, Charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas protuenda ſalute multorum, & quorundam perverſitate corrigenda.* Et quanquam teſtentur compertum ſibi eſſe eos errare, & pauca pernicioſa que docere ac idem antea à Patribus Orientalibus adverſus eoſdem eſſe definitum, expectari à ſe tamen Innocentij ea in Cauſa judicium, ut illæ duorum Conciliorum ſententiæ ratæ habeantur, & in Rempublicam Chriſtianam tranſeant. *Non dubitamus*, inquit, *venerationem tuam, cum geſta Epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem Cauſa confecta dicuntur, id judicaturum, unde omnes in Dei miſericordia gaudeamus.*

Affirmant non ſua duntaxat, ſed & aliorum Patrum Orientalium in Concilio Acta Examini & judicio Innocentij ſubjici oportere, quod id ſolenne in Eccleſia jam tum inde à Petro fuiſſet, continuatâ traditione. Id verò continet Innocentii reſponſum in litteris ad eoſdem redditis. *Antiquæ*, ait, *Traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ veſtræ Religionis vigorem, non minus nunc in conſulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad noſtrũ referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus. Apoſtolum, debeatur. A quo ipſe Epiſcopatus, & tota Authoritas nominis hujus emerſit.* Soleo dicere hunc locum Achillem, eſſe cui nemo Hæreticorũ Hector

poſſit reſiſtere. Nam Patres Concilij legitimè cum Aurelio Africanæ, quæ tunc erat Clariſſima Eccleſiæ Capite, in novum Concilium coacti, in Cauſa optima, certâ, indubitata ſummo jure dãnatis Erroribus, judicium tamen ſuſtinent ſuum, & ad Pontificem referunt, imo & alterius Orientalis Concilij relatum ſupponunt, petuntque, ut Apoſtolica Authoritate utrumque firmetur, & ratum habeatur: Pontifex verò probat & judicium in damnando, & obedientiam in conſulendo, & utrunque juxta commendat, aitque illos ex officio ad conſulendum teneri: idque traditione conſtare, quia Romanæ Sedis eſt ſumma, & Apoſtolica, atque adeo Princeps Authoritas. Nihil hic ſanè ad convincendos Hæreticos hujus temporis deſideratur. Legant, expendant, reliquam Epiſtolam, ſatis erit illa ad perſuadendum, ſi libero ſunt & animo & judicio. Sin præoccupato & affecto, ſi minus proderit ad doctrinam, certè proficiet ad pudorem. Niſi adeo periit frons de rebus, ut liceat unicuique fingere quod credat: nec velit credere niſi quod fingat.

Par eſt in ſecundo robur: *hic erit alter Achilles*: nec enim ad Trojam ubi unus, ſed in Eccleſia in qua plures: non Pelidæ, ſed Chriſtiadæ. Concilii Milevitani paucis poſt annis coactum eadem & in decernando, & in conſultando ratio fuit: nec minus illuſtris ex eo hujuſce veritatis probatio exiſtit. Aiunt Epiſt. 92. ad Innocentium in eadem Pelagij & Celeſtii cauſa. *Quia te Dominus*, inquit, *Gratiæ*

ſuæ

ſuæ munere in ſede Apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt tacuerimus, quã ea tu poſſis vel faſtidioſè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti Paſtoralem diligentiam, quæſumus adhibere digneris. Et paulò poſt mentionem de Carthaginenſi Concilio ſuperiore faciunt. *De quo ante paucos*, inquiunt, *annos quid geſtum fuerit Sanctitas tua de Carthaginenſi Eccleſia melius inſtruetur.* Addunt in rem. *Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta dixerimus imitantes Carthaginenſis Eccleſiæ, Carthaginenſis Provinciæ Copiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam quam beatus illuſtras hac de cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Quo & Authoritas Papæ Romani agnoſcitur, & traditio confirmatur; quid eſt enim imitari, niſi alios ſequi, & quod ab iis actum eſt, de eorum manibus accipere, & rem cum exemplo ad ſe traducere. Quid autem eſſet, & quanta fide ab Innocentio præſtandum id exprimunt hiſce verbis. *Arbitramur adjuvante miſericordia Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur.* AUTHORITATI SANCTITATIS TUÆ DE SANCTARUM SCRIPTURARUM AUTHORITATE DEPROMPTÆ *facilius eos qui tam perverſa & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros.* Plura noſtris hic locus tela ſuppeditat, quam alter. Nam docet Authoritatem Papæ ſuos fontes in Scriptura habere, atque ab iis manare. Regi &

exaudiri à Deo consulentem de rebus Fidei & è Re Christiana Pontificem, ne falli possit. Tantam ejus vim, & virtutem Authoritatis esse, ut qui aliis ante restiterint proteruè & Pastoribus, & Conciliis, hi Papæ non audeant refragari. Sanè si satis erat Pastorum & Conciliorum authoritas, quid opus erat ad convincendos damnandosque & errores, & Authores, Romani Authoritate Pontificis? Definirent ij, decernerent, proscriberent, damnarent. Prætermitterent, contemnerent negligerent Pontificem. Id agerent si Novatores essent. Quibus omnia quæ lubent, licent. Aliter judicarunt veteres Sancti, Docti, Venerabiles Episcopi, licere sibi non putarunt sententiam in Causa Fidei suam, cum certa tamen & indubitata esset; palam, & ut erat è Christiana Repub. dignum proferre, nisi Romanæ Cathedræ authoritas accessisset. Nec suæ aut dignitati, aut gravitati quicquam detractum iri censuerunt, quòd se Romani Pontificis judicio sententiæ que subjicerent. Et, quod apud me magnum habet pondus, inter eos erat Magnus Augustinus. Qui strenuus hujusce Authoritatis, vindex, & fidus ubique testis extitit. Omitto Innocentij ad hujusmodi litteras responsum: nam ubi tot sunt, non est necesse plura argumenta producere.

Illud autem maneat: Concilium Provinciale quod à Summo Pontifice approbatum est, & confirmatum, errare in Fide non posse: idque iis cum Universalibus esse commune. Unde qui citet Canonem Concilij à Papa confirmati, sive sit Universalis, sive Provinci-

vincialis Concilij, ille eo nomine credendum est; nam etsi inter utrunque quoad solennitatem, & claritudinem, imo, & reverentiam aliquantum, certè ad veritatem nihil videtur interesse. Jam verò si Universali Concilio non approbato à Romano Pontifice error potest obrepere, obrepsitque, quomodo liberum esse potest ab errore Provinciale Concilium? Tantum igitur valet Pontificia in utranque partem Authoritas. Ratio verò ea est, quia Concilia etsi Universalia sint, repræsentant Corpus Ecclesiæ; Cujus corporis Christus verum Caput, & Pontifex, ejus vices gerens, Vicarium Caput est; atque adeo Capiti virtus inest authoritatis, innatæ, aut communicatæ. Dum igitur deest hujusce Capitis nexus, perfectum illud Corpus non est: cum adest, tum & sua forma faciesque accedit: Cujus ratione jam illa membra ad Ecclesiæ Speciem conformantur. Et quidem Universale Concilium, cùm approbatur, totam Ecclesiam repræsentat. Provinciale, cum ad Caput trahitur, eique per approbationem adhæret, etsi Ecclesiæ Universæ Speciem non habeat, ratione Capitis incipit ad totam Ecclesiam pertinere. Capitis autem qui Christus vere, ac Petrus & Pontifex successor pro capite sunt, illa Prærogativa Authoritatis inest, vel propriè vel cõmunicata juxta textus Evangelij quos suis locis adduximus. Errasse autem multa Concilia Provincialia, quæ non habuerunt approbationem Pontificis, patet exemplis. Carthaginiensis cum Cypriano, de quo toties meminit

contra Donatiſtas Auguſtinus. Mediolanenſis juxta Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 20. Seleuciani lib. 1. Hiſtor. Tripart. c. 34. Alia plera que videri poſſunt apud Cajetanum de Author. Pap. & Concil. & Turrecrematam lib. 3. c. 6. 8. & 38. & Canum. l. 5. Quot autem, & quot ea fuerint, & in quibus erraverint, iidem exponunt. Quantum verò interſit inter Provincialia Concilia idonea: quorum alterum confirmatum ſit, alterum non, indicto exemplo declarare volo. Arauſicanum ſecundum & Senonenſe Prouincialia ſunt Concilia circa materiam de Gratia & libero Arbitrio: Siquis tamen neget Canonem Arauſicani, ſuſpectus erit in Fide, non erit qui neget Senonenſis, quia Arauſicanum confirmatum eſt à Romano Pontifice; & in Fidem publicam Eccleſiæ tranſiit. Senonenſe adhuc non eſt Confirmatum: atque adeo Publicam Fidem non facit. De quo vide Vaſquium in 1. p. d. 91. a. c. 11. ad 13.

Hujuſmodi Pontificiæ Authoritatis Prærogativam ipſa Concilia, Synodique teſtantur. Nam in Synodo Conſtantinopolitana Generali 5. Pronuntians Mennas ejuſdem Urbis Archipiſcopus in Anthymum Sententiam adjecit: *Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus ſicut Charitas veſtra ſcit, & illius communicatores communicatores habemus, condemnatos ab ipſo, & nos condemnamus.* Cui Synodus tota Subſcripſit. Octavæ Synodi Generalis Patribus idem judicium fuit, & ſenſus. *Sequentes* aiunt, *in omnibus Apoſtolicam Sedem, Speramus*

ut

ut in una Communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat eſſe mereamur, in qua eſt vera & integra Chriſtianæ Religionis ſoliditas. Quare non conſentientes Sedi Apoſtolicæ eorum nomina inter Sacra myſteria non ſunt recitanda. Nolò prolixior eſſe in verbis recitandis. Summam facio. Synodus Romana ſub Symmacho decernit *Romanæ Sedis Præſulem merito Beati Petri Apoſtoli per univerſum Orbem Primatum obtinere Sacerdotii, & Statutis Synodalibus ſolere tribuere firmitatem.* 96. c. Bene. & 25. q. 2. c. *Si quis.* Alia Synodus Univerſalis Nicolao Præſide, *Si quis*, ait, *dogmata vel decreta pro Catholica Fide, vel Eccleſiaſtidiſciplina à Sedis Apoſtolicæ Præſule promulgata contempſerit, Anathema ſit.* Quæ ſententia à Lucio 3.c. Abolendam. de hæreticis. uſurpatur. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. De ſumma Trinit. c. *Damnamus. Nolumus*, inquit, *quicquam Abbati Joachim derogari, cum omnia ſcripta ſua aſſignari mandaverit Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, vel etiam corrigenda: firmiter confitens ſe illam Fidem tenere quam Romana tenet* Eccleſia, *quæ diſponente Domino cunctorum Fidelium mater eſt, & Magiſtra.* Quo maximè Pontificis authoritas confirmatur, cum hujus Eccleſiæ Os & Caput ſit. Itaque Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio. De Summa Trinit in. 6. *Ex Domini*, ait, *inſtitutione Romana Eccleſia Fidelium magiſtra eſt; ac proinde Romanus Epiſcopus Petro ſuccedit in Eccleſiæ magiſterio.* Ne quis putaret (quod Thomas Anglus ſignificavit) illam facultatem docendi non in Perſona Epiſcopi, ſed in

Clero

Clero Romano, quod ineptè affirmat reſidere. Quòd autem dicit Papam Petro in magiſterio ſuccedere, probat, non magis errare poſſe Papam cum Petri vices docendo agit, quam Petrum. Hinc eſt ut c. ubi periculum de Elect. in 6. Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio declaret *Romanum pontificem eſſe Vicarium Jeſu Chriſti, Succeſſorem Petri, Rectorem Eccleſiæ Univerſalis.* Et Clement. Un- Patres Concilii Flotentini Papam inter alia nomina vocant *Totius Eccleſiæ Caput, & Omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem.* Unde Leo IX. Epiſt. Synodica ad Petrum Antiochenum Patriarcham: *Sanctam*, inquit, *Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam Caput eſſe omnium Eccleſiarum, ad quam majores Cauſas eſſe referendas Concilia omnia. & Sanctus Sanctorum Rex confirmat.* Quod prorſus verum eſt. Id enim, uti vidimus, Omnium pene gentium ætatum, Regnorum Synodi, Conciliaque teſtantur, modo fuerint juſte & legitime congregata: id eſt, *in nomine Chriſti*, acceptâ ab eo ſuos per Vicarios poteſtate, quam non ipſi ingerebant, ſed rogati exercebant à Niceno uſque ad Tridentinum; ut non minus ſucceſſio Pontificum inter ſe cum Eccleſia & Conciliis, quàm Series Conciliorum cum Pontificibus, nexa videatur. Quibus qui reſiſtunt, negantes Papæ certam & infallibilem in definiendo & approbando authoritatem ineſſe, pugnant cum toto Orbe terrarum.

ART.

ARTICULUS III.

Patres Eccleſiæ ſenſa Scriptaque ſua Romanorum Pontificum doctrinæ accommodarunt, quidam etiam judicio ſubjecerunt.

MAgnam eſſe Patrum inter ſe Conſentientium Authoritatem, Ipſa Concilia, Patres Pontificesque teſtantur. Producamus aliquot ex ſingulis Ordinibus teſtimonia. Concilium Epheſinum, Authore Vincentio Lyrinenſi, Neſtorio hinc, inde Cyrillo: illo hæretico, iſto Catholico pugnantibus, decrevit, *ut Sanctorum Patrum Sententiæ in medium proferrentur*: quibus cum adverſari Neſtorium à Cyrillo editis teſtimoniis monſtratum eſſet, lata in eum damnationis ſententia eſt. Conſtantinopolitanæ Synodo Sextæ placuit res ſecundum Patrum placita definire, Ita Actione 12. 17. 18. Lateranenſis idem judicium fuit Can. 12. & 13. omnino expreſſū. *Patres* ipſi alii aliorum ſe præſidio muniunt ad hæreſes oppugnandas. Adverſus Helvidium Hieronymus. Adverſus Eunomium Baſilius. Adverſus Donatiſtas & Pelagianos Auguſtinus. Adverſus Neſtorianos Cyrillus.

Ita Eutichem Leo; ita Agatho Monothelitas confutavit. Hac ratione Concilij Viennenſis Clemens, & Leo X. decreta confirmarunt. Unde ex locis Theologicis unus ac ex præcipuis eſt Authoritas Patrum, de qua Canus. lib. 7. & Vaſquez 1. p. d. 12.

Igitur Patres tum Græci, tum Latini Summis Pontificibus Romanis, & adhærere ſemper, & ubi opus eſſet eorum ſe judiciis ſubmittere ſtuduerunt. Polycarpus Joannis Apoſtoli diſcipulus, & aliorum Apoſtolorum auditor, uti narrat Hieronymus, *propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones Eccleſiam regente Aniceto Romam venit.* Ut eum conſuleret: Irenæo teſte l. 3. c. 3. ejusque judicium requireret; quod certè non ageret, Apoſtolorum diſcipulus, niſi & hoc ipſum ab iis didiciſſet. Et quidem Irenæus ipſe qui refert, Polycarpo Super quod is re præſtitit, verbis confirmat eodem lib. 3. c. 3. *Ad hanc Eccleſiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui undique ſunt fideles.* Neceſſarium dicit, & ducit hoc cum Romano Capite membrorum conſortium. Paucis poſt annis floruit Septimio Severo Imperatore Tertullianus, qui in iis quæ adhuc integer, & incorruptus ſcripſit operibus, Romano adhærendum ſenſit, docuit que Pontifici. lib. de Pudicitia c. 1. Epiſcopum Romanum vocat *Maximum Pontificem*, & *Epiſcopum Epiſcoporum*. Et lib. contra Marcionem 5. ejus Catholicam doctrinam probat. Libro autem de Præſcript. idem effecit.

Et

Et illud addit cap. 36: *Habes Romam, unde Authoritas præsto est. Statu Felix Ecclesiá cui totam doctrinam Apostolicam sanguine suo profuderunt.* Ejus vicinus & patriâ, & tempore Cyprianus multus hac in re est, & copiosus. Unitatem Ecclesiæ cum uno Capite exigit, & nexum cum illo Corporis Fidelium pulchrè describit lib. 1. Epist. Epist. ad Cornel. lib. 4. epist. ad Pupianum, & Epist. ad Jubaianum, & in tract. de Simplicit. Prælator. & lib. de Unit. Ecclesiæ. in quo ait, *Ut unitatem manifestaret unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem Originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit.* Et postea. *Exordium ab unitate proficiscitur: Primatus Petro datur, ut una, Ecclesia, & Cathedra unamonstretur.* Viam hoc uno aditu munit ad doctrinam: quæ ad eam omnino Sedem referenda est, & conformanda. Insuper Epist. 66. ad Florentium, & Epist. 55. in qua illam illustrem dicit sententiam. *Inde oriri hæreses & schismata, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, neque unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Ac ne quis à Romano Pontifice aberraret, ait Epist. ad Jubaianum. *Petro super quem ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut illud solveretur in Cœlis, quodipse solvisset in terris.* En Fons unitatis & authoritatis, Petrus, & Romana Sedes; ac qui in ea sedent Christi Vicarij, Petri successores. Cyprianum Martyrem, Vindex Fidei Athanasius sequatur, quem Hæreticorum acerba odia Romam

ire, & ad Sacram Romanæ Sedis Anchoram confugere impulerunt. Qua mente Scripta ipsius testantur. Epist. ad Marcum Papam: *Domino*, inquit *Sancto, & Apostolici culminis venerando Marco Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis atque Universalis Ecclesiæ Patri Athanasius, & Universi Ægyptiorum Episcopi salutem.* Et infra. *Vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis & sumus, & esse semper volumus.* Pia ista voluntas in Novatoribus desideratur; quæ si esset; non deesset Fides: sed illi nolunt Credere, quia rectè ac secundum Fidem vivere nolunt. Ii demum *Piè* in Christum Credunt, qui *pie in Christo vivere volunt.* Quî pie credent, qui impiè vivunt? Hinc illa Athanasii (Quanti viri!) obedientia, perspicuis testata verbis. in Epist. ad Felicem. tomo. 1. Conciliorum. *Quia semper Antecessores nostri & nos à vestra Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam gerere agnovimus, præfatam Apostolicam, & summam expetimus juxta Canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, Unde Prædecessores nostri Ordinationes & Dogmata atque Sublevationes ceperunt.* Æqualis penè Athanasio Basilius in Epist. ad eundem Athanas. 52. ejusdem est author sententiæ. *Visum est*, inquit, *mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret.* Tantus doctor tantum vel absenti Pontifici defert, ut nolit agi docernive quicquam ad Ecclesiam attinens, quod pastoris aciem fugiat: cum præsertim ovibus à Lupis periculum immineret. Luculetius est testimonium

nium in Epiſt. data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum. *Pietati tuæ donatum à Deo eſt, ſcilicet ut quod adulterinum eſt à legitimo ac puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine ſubtractione ulla prædices*; quæ Sole clarior eſt ſententia. Duo Contubernales ejus Sanctiſſimi Gregorii Nazianzeni habemus in hanc rem nata teſtimonia. Primum orat. 23. in Laudem Heronis, in qua commemorat Petrum Alexandrinum Athanaſii ſucceſſorem ab Ariano Lucio Sede ſua pulſum, Romam ad Pontificem confugiſſe, atque id quidem verbis quæ fidem faciant huic argumento. *Per tantam ait accuſationem omnibus lacrymas movit, ut calamitatis magnitudinem in oculis & aſpectu defigerent, & auxilium nanciſceretur, quemadmodum & nactum eſſe ſcimus.* Cujuſmodi iſtud Auxilium fuerit, ex Anteceſſore Athanaſio didicimus. Secundum eſt in orat. 52. ubi narrat Vitalium Apollinaris Sectatorem, hæreſim occultè profeſſum clam edidiſſe librum, de quo certiorem factum Damaſum librum proſcripſiſſe, & authorem ab Eccleſia ejeciſſe.

Joannis Chryſoſtomi Aureæ extant ad Innocentium 1. Epiſt. in quibus apud illum queritur de vi ſibi illata ab hoſtibus, à quibus eſt à Sede ſua dejectus, & in ordinem redactus. Adverſus quos Pontificiam Innocentii opem implorat. Addit Chryſoſtomus facto, interpretatione ſua in libro de Sacerdotio ad locum JOANNIS, 21. *Paſce Oves meas*, momentum. Sic enim exponit, ut doceat *Curam Ovium totius Eccleſiæ Chriſtum* Pe-

tro ET SUCCESSORIBUS TRADIDISSE: & ſubjungit, *Succeſſores Petri ea nunc agere, quæ cum Petrus ageret illum Chriſtus authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere.* Ambroſius plures nobis & perſpicuas adhuc magis ſuppeditat ſententias. Omitto quas habet in Orat. de Satyro Fratre. Indico quæ ſunt lib. 1. Epiſt. Epiſt. 7. ad Siricium Papam, & in Epiſt. 4. ad Gratianum. de vitandis Arianis. Unum produco ex Epiſt. 9. ad Theophilum Alexandrinum. in qua ſic. *Referendum arbitramur ad Sanctum Fratrem Noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant.* perinde ac probari non poſſent, quæ diſplicerent. Et adjungit infra; *Ut nos quoque acceptâ veſtrorum ſerie ſtatutorum cum id geſtum eſſe cognoverimus, quod Eccleſia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujus examinis adipiscamur.*

Viden, ut examen & approbatio doctrinæ ad Romanum Pontificem pertineat? Quam ſi Novatores Trutinam deludunt, inde eſt, quod volunt ſua commenta intrudere, & vitrea facta lapillis vendere. Illud quæſo audiant, quod idem propinat nectare conditum veritatis Ambroſius ad Gratianum de Romana Eccleſia: *Inde*, inquit, *in omnes venerandæ Communionis jura dimanant.*

Suum Epiphanio poſt Ambroſium locum demus. Hic in Anchorato multus eſt in demonſtrando Petrum Caput eſſe, & *Petram Eccleſiæ ſuper quam illa ædificata eſt: adverſus quam Portæ Inferorum*

rum, id est, Hereſes & Hæreſiarchæ, non prævalebunt. Deinde hoc demonſtrato ſeriem ſucceſſionis Romanorum Pontificum deducit, eaque deducta oſtendit continuatam & incorruptam Fidem. At vero Hæreſi 27. circa finem eâdem ſucceſſione explicatâ. *Ne quis miretur*, ait, *quod ſingula ita exactè recenſemus: Per hæc enim ſemper Claritas oſtenditur.* Id demum erat ab Epiphanio expectandum quod ſplendorem afferret. Sed tenebriones oderunt Lucem. Verùm jam pridem *Tenebræ* illam non comprehenderunt. Habet horam ſuam *poteſtas tenebrarum.* At non eſt iis poteſtas *Filios Dei* faciendi, qui *filij ſunt lucis*, non Tenebrarum.

Vocat me Hieronymus Sacrum nomen & Sacrarum Scripturarum Maximus Doctor. Is hujuſmodi argumentis abundat. Ac colligo illuſtriora, & conglobo. Epiſt. 11. ad Ageruch. teſtatur ſe aliquando inveniſſe Damaſum reſpondentem ad Orientis & Occidentis Conſtitutiones Synodales. Dignam Occupationem Romani Pontificis Relatas ad ſe conſtitutiones recognoſcere, ac ſeligere. Epiſt. 8. ad Demetriadem c. 9. eandem monet *ut Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ ſucceſſor eſt, teneat fidem*: Et Epiſt. 16. ad Principiam referens, quæ de Athanaſio & Petro ſupra tetigimus, probat: nam ut Hæreticorum invidiam *effugerent, quaſi ad tutiſſimum Communionis ſuæ Portum confugerant.* Epiſt. 52. *Quoniam vetuſto, &c.* egregium exhibet teſtimonium. *Cathedræ*, inquit, *Petri communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicunque ex-*

tra

tra hanc domum Agnum comederit, prophanus eſt. Qui hodiè à Romana Cathedra deſciverunt, hi à Fide Hieronymi & Eccleſia defecerunt, *Odit prophanum vulgus* Hieronymus *& arcet. Agnum illorum, Hircum* putat. Sed ne *A*gnum quidem illi habent: ex quo Sacrificium Miſſæ ſuſtulerunt, imo & Templa, ne quod *Agni* veſtigium eſſet, everterunt. Agnum oderunt, & uxorem Agni Romanam Eccleſiam, inductâ uxorum, imo & Pellicum turbâ: conculcatis liliis virginum quæ paſcitur Agnus, *qui paſcitur inter lilia.* Qui paſtum ademerunt, Agnum exegerunt. *A*d hos ergo Hieronymus

——*Procul, ô procul eſte Prophani.*

Hi certè poſt mortem *A*gnum non ſequentur quocunque ierit. *Virgines* enim non *ſunt.* Imo eos *A*gnus *ad Hædos* ſalaces remittet, qui à Siniſtris erunt. *A*t Lutherus, & Calvinus aliter docuerunt: Occurrat Hieronymus in *A*polog. 2 ſeu lib. 3. contra Ruffinũ, *Scito Romanam Fidem Apoſtolicâ voce laudatam iſtiusmodi præſtigias non recipere. Etiam ſi Angelus aliter annuntiet quàm ſemel prædicatum eſt.* Nec ego dubito Lutherum & Calvinum *A*ngelos eſſe; Sed malos & Præſtigiatores, etſi in *A*ngelos lucis tranſfigurare ſe tentarint.

Venio ad Cyrillum: Qui in Epiſt. ad Celeſtinum Romanum Pontificem 18. quæ eſt in Concil. Epheſino to. 1. c. 29. Cauſam Neſtorii etſi damnatam judicio Capitis Romani ſubmittit, ejuſque ſententiam

tentiam expectat. *At quamvis ita res habeat: non prius tamen illius communionem deserere ausii sumus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus.* Hi non audent: Novatores nihilnon audent. Audiant Cœlestinum ne audeant. *Nostræ Sedis authoritate ascitâ, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita sedulitate Sententiam exequeris, nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ numerationis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet.* Ferunt hæc Religiosæ ac teretes Cyrilli & Patrum aures: prophanæ & adipales Novatorum non ferunt, & ferro non cera adversus Cantus Sirenum Cœlestium obducunt. Audiamus nos dum illi nolunt. *Illico sanctitas tua,* pergit Cœlestinus, *illi Ecclesiæ prospiciat: is vero modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.* Paruit autem huic mandato Cyrillus, uti apparet ex Epist. ad Nestorium. tom. 1. Concil. c. 4. *Quod nisi juxta tempus in litteris Cœlestini Sacratissimi, Reverendissimique Romanorum Episcopi expressum præstiteris, certo scias nullam tibi deinceps cum Episcopis & Sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem, nullum denique locum inter eos futurum esse.* Eadem habes in proxima Epist. ad Clerum populumque Constantinopolitanum. Credo Novatores nostros Cyrillo minimè subscripturos, nec dubito in partibus Nestorii esse malle, quàm Romano Pontifici obedire. Plura Cyrilli extant apud Divum Thomam ex libro Thesauri deprompta testimonia, quæ cum magna parte libri inter-

ciderunt ; Sed ea tamen omnino ſunt Authore Angelo Theologis recipienda.

Theodoretus tum ipſe Authoritatem Pontificiam aſſerit, tum alij apud ipſum teſtantur. Ille ab Epiſcopis adverſæ & ſuſpectæ factionis potentiſſimis agitatus, imo & calumniis traductus, ut omnem ſuſpicionem vitaret, ad Romanum Pontificem (is tum erat Leo) confugit : data ad ipſum Epiſtiſtola, in qua : *Ad Apoſtolicam*, inquit, *Sedem veſtram venimus, ut Eccleſiarum ulceribus medicinam à vobis accipiamus*, VOBIS ENIM PER OMNIA PRIMOS ESSE CONVENIT. Primi tunc Romani, imo & omnia erant : hodiè nulli apud hæreticos & nihili habentur. At non ſunt hi Theodoreti ſimiles, nam ſi eſſent Patres apud eos Romani eſſent. Idem confirmat ipſe in Epiſt. ad Renatum Presbyterum. Ejuſdem præclara illa ſententia eſt adverſus Conciliabulum Ariminenſe quod improbat ; quòd non expectato Romanæ Sedis judicio temerè, atque adeo falſo definit : ita lib. 2. Hiſtor. c. 22. Eam corroborat. lib. 5. c. 10. referens Damaſum Sectam Apollinaris cum Authore proſcripſiſſe : idque Pontificis Romani authoritate feciſſe, & litteris confirmaſſe. Se de re illa conſultum à Catholicis Orientis Epiſcopis fuiſſe. Sanè ex Græcis Scriptoribus Theodoretus Romanæ Sedis ac Romani Pontificis authoritatem unus maxime aſſerit & confirmat. Sed novi Theodidacti Theodoretum irrident, quod à Deo eruditi ſe jactant, cum à Pontifice Theodoretus doceri vellet.

Uſus

Uſus jam inter eos obtinuit, ut quivis Sellularius de face plebis Theodidactus ſibi videatur, ac Theodoreto ſuperior. Non egent Romana Cáthedrâ, imo nullâ, cum in ſua quiſque Sellula Cathedram habeant Opifices *Sedentarij*.

Proſpero locus hic eſto Leonis Pontificis teſte Trithemio Servetario: Actis primum, deinde Scriptis Pontificiæ Authoritati teſtimonium reddidit. Conſtat eum ad defendendã Catholicã de Gratia *Auguſtini* contra Semipelagianos *Sententiã* Romam contendiſſe, & ad Cœleſtinum Papam adijſſe, à quo Epiſtolam honorificam pro *Auguſtino* accepit: ac eâ impudentium hominum petulantiam compeſcuit. En Proſper apud quem tanti erat *Authoritas Auguſtini*, majorem eſſe putavit Cœleſtini, quòd Romanus Pontifex erat. Quin & *Arauſicani Concilij* ſecundi Canones, qui totidem ſunt ſententiæ *Auguſtini* compoſuit, & Leoni approbandos dedit, ac ejus juſſu in Galliam miſit, ut à Patribus *Arauſicanis*, non tam fierent, quàm reciperentur: quemadmodum Lovanienſes & cum iis Vaſquez obſervat 1. p. d. 91. cap. 11. Suam igitur & *Auguſtini* doctrinam Leonis judicio commiſit ſubjecitque. Scripta *Actis* concordant. Nam in lib. contra Collatorem, c. 10. cenſuram Innocentij & Zozimi contra Pelagium oraculum exiſtimat. Et ait inferendo tanquam adynaton: *Erravit Sacroſancta Petri Sedes quæ ad Univerſũ orbẽ Papæ Zozimi ore loquitur.* Et cap. 41. *Beatæ*, inquit, *memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone*

percußit. Ac idem paulò pòſt de Zozimi, Bonifacij, Cœleſtini ſententiis profert judicium. Ita ſenſit Proſper proſpere incedens viâ veritatis, à qua Novatores averſi, quia Adverſi, non Proſperi.

Maximi Taurinenſis eadem mens eſſe traditur à D. Thoma. Cenſet enim in Cauſis Fidei ad Pontificem recurrendum: idque exemplo *Pauli* docet cum ad Petrum venit, ſignificans poſteros cum inſtrui vellent ad Romanos Pontifices Succeſſores Petri eſſe venturos. De quo loco vide Canum lib. 6. cap. 5.

Concinit Iſidorus, à quo eſt unum inter alia Præclarum teſtimonium in Epiſt. ad Eugenium Epiſcopum Toletanum Summo Pontifici redditum: *Cujus dignitas poteſtatis etſi ad omnes Eccleſiarum Epiſcopos eſt tranſfuſa, ſpecialius tamen Romano Antiſtiti ſingulari quodam privilegio, velut Capiti cæteris membris celſior permanet in æternum.* Huic Prærogativæ dignitatis addit aliam Authoritatis in Præfat. ad Canonum Collectionem, quæ habetur tomo. 1. Concil. Reddens enim rationem cur collegiſſet Decreta & Epiſtolas Synodicas Pontificum, ait: *Quia in eis pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum extat authoritas.* Et in fine confirmat. *Nullam Synodum ratam eſſe, quæ Pontificis authoritate non fuerit congregata, vel ſulta.*

Venerabilis Bedæ fidem ſuprà appellavimus dum lib. 3. Hiſt. Ang. c. 25. *Decreta Sedis Apoſtolicæ* veneranda eſſe docet. Nunc eandem appello

in Homil. D. Benedicti Angli tomo 7. & lib. 2 Hist. Anglorum: quibus in locis ait Anglicam gentem à Romanis Pontificibus mysteriâ Fidei edoctam, ac illa sunt de eodem Benedicto verba notanda. *Ad Beatorum Apostolorum limina peregrinaturus advolavit, ut quia rudis adhuc in gente Anglorum Fides, & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam vivendi formam sumeret, ubi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ Caput eminet eximium.* Quod si gens Anglica ingenio & judicio maximè valet: cognoscet à quibus imbuta fuit; hoc testimonio expenso ab iis ad Caput illud colendum esse institutam: nec ab eo, nisi prius à suis desciscat defecturam.

A Bedæ ad nostra usque tempora ætate non dubitant Novatores, quin hæc sententia de Authoritate Papæ invaluerit. Hic igitur sistam: & tanquam terminos quinque volo Patres constituere, & finire. Duos ex iis antiquiores Græcos, Duos Latinos Recentiores: & inter eos totius Theologiæ Principem Augustinum collocare. Primus ex Græcis sit Maximinianus Constantinopolitanus Episcopus; Cujus est Luculentum testimonium in Epist. ad Orientales. *Omnes*, inquit, *fines terræ quæ dominum sincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram Fidem confitentes in potestatem Romanorum Pontificum tanquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ Fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primo perfectam Fidem esse confessus Domino revelante eam dixit, Tu es Christus*

Filius Dei vivi. Et infra. *Hunc etenim de cæteris mortalibus ex toto Orbe terrarum conditor Orbis elegit, ut Cathedram Magistri principaliter possidendam teneret* PERPETUO PRIVILEGII *jure concessit:* UT QUISQUIS DIVINUM ALIQUID, AUT PROFUNDUM NOSSE DESIDERAT, AD HUJUS PERCEPTIONIS ORACULUM DOCTRINAM QUE RECURRAT. Ecce antiquus ante Bedam Pater, idemque & Græcus, & Constantinopolitanus Gente & Cathedra Romani Pontificis Æmulus, tam perspicuè & eleganter Prærogativam Romanæ Cathedræ asserit, ac extollit. Alter esto Anastasius Patriarcha Hierosolymitanus in Epist. ad Felicem Papam. *Fuit semper, ait, Apostolicæ Sedis vestræ licentia injustè damnatos, vel excommunicatos potestatis suæ authoritate restituere, & sua omnia eis reddere, & eos qui eos condemnarunt aut excommunicarunt Apostolico punire Privilegio. Sicut etiam nostris, & anterioribus legimus factum temporibus.* Accursum efficacius. *Antiquis Regulis Sancitum est, ut quicquid quamvis in remotis Provinciis super eorum querelis aut excusationibus ageretur, non prius tractandum vel recipiendum esset, quam ad notitiam Almæ Sedis vestræ esset deductum, ut hujus authoritate juxta quod fuisset faciendum infirmaretur aut Firmaretur.* En iterum nobilissimæ Sedis Episcopus non modo primas Authoritatis Romano concedit Episcopo, verumetiam Apicem in eo, & summam Ecclesiasticæ Potestatis agnoscit. Idque antiquitate totâ confirmat.

Novatores autem ita eum de Cathedra sua dejiciunt, ut singuli privato spiritui suo authoritatem Cathedræ attribuant, & dum unum oderunt Pontificem, tot statuunt, quot ii numerò sunt, nec pudet eos cum unam nobis Joannam falsò Papissam objiciant, multas in singulis domibus Papissas habere. Nam & feminæ eodem illo privilegio, interpretandi sacras scripturas, imo & eas populo exponendi fruuntur.

Ad alios duos Recentiores post Bedam Patres venio. Alter est Anselmus, qui gravissimè de Authoritate Romani Pontificis sentit, & loquitur. Insignis ille est locus lib. de Incarnat. Verbi. ubi sic incipit: *Domino & Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Urbano Frater Anselmus.* Ac infra. *Quoniam* Divina Providentia *Vestram elegit Sanctitatem: cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia,* UT EJUS AUTHORITATE CORRIGATUR: *nec ulli alij tutius si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur:* Sic Anselmus hoc loco. Omitto alios, qui eandem rem continent. Ex iis cito Præfationem Epist. ad Romanos. Alter esto Bernardus Nectar nostrum. Apud quem plures inveniuntur melleo sapore conditæ sententiæ: Quibus sunt referti libri de Consider. ad Eugenium: nec non & Epistolarum libr. Epist. 125. & 131. & 183. & 237. locum seligo

ex

ex Epist. 109. ad Innocentium, à quo adversus novam hæresim insurgentem præsidium authoritatis implorat. *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum reserciri damna Fidei.* UBI NON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTUM. HÆC QUIPPE HUJUS PRÆROGATIVA SEDIS. *Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua. Ergo quod requiritur à Petri Successore exigitur. Esto aliquando confirma Fratres tuos.* Lux est in Bernardo quam solæ noctuæ non ferant. Ita sentit, uti nos hodie Romani Catholici sentimus, ille docet quomodo sentire debeamus. Causam item in loco Evangelij invenit, cur ita nos doceat: nosque discamus. Scholasticorum calculos, negligunt Novatores idcirco iis abstinendum duco: sed nemo est quin recte ac pro pontifice ponat. Scholæ omnino cum Petri Cathedra conveniunt. Unus superest Augustinus, qui & Academiarum instar est omnium, & Cathedrarum. Nemo fortius argumentum suppeditat. Ep ratiocinationem & Agnen claudo.

Igitur Augustinus Tribus sui temporis Pontificibus, se suamque doctrinam subjecit, & cum Magister Orbis esset, magisterij prærogativam detulit Innocentio, Zozimo, Bonifacio. Ad Innocentium nomine Concilij totius Carthaginiensis *Decreta* contra Pelagium & Cœlestium approbanda scripsit

et

et miſit. Epiſt. 90. Ad eundem retulit Canones Milevitani Concilij, cui Epiſcopus interfuit, & ſubſcripſit. Epiſt. 92. quarum Verba ſupra citavimus. Tertium novâ Epiſt. 95. cum aliis *Africæ* Epiſcopis eidem Innocentio ſuper eadem Cauſa Pelagij reſcribens Illuſtrem Pontificiæ *Authoritati* calculum adjicit. *Ait* quippe ad finem Epiſtolæ. *Cætera quæ illi* Pelagio *objecta ſunt, ſicut geſtis defenſa perviderit, ita de his procul dubio tua Beatitudo judicabit. Dabit ſane veniam ſuavitas mitiſſima Cordis tui, quòd prolixiorem fortaſſis epiſtolâ, quàm velles, tuæmiſimus Sanctitati. Non enim rivulum noſtrum tuo largo Fonti augendo refundimus, ſed in hac non parva tentatione temporis unde nos liberet cui dicimus. Ne nos inferas intentationem, VTRVM etiam noſter licet exiguus ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione unius Gratiæ conſolari.* Non dubitat Auguſtinus doctrinam communem de Gratia contra Pelagium à ſe, & Epiſcopis Africæ traditam duci à Deo capite omnium veritatum, ſed earum Fontem vult eſſe apud Innocentium Papam: apud ſe, & alios Epiſcopos rivulos: atque adeo quantum inter Rivulos & Fontem, tantum inter aliarum Sedium & Romanæ Sedis intereſſe doctrinam.

Quòd ad Zozimum attinet, præter eos locos, quos articulo proximo adduxi: affero illum Epiſt. 157. cujus initio, ejus ſe Pontificis ſubditum perſpicuè teſtatur aiens: *Me apud Cæſaream præſente venerunt:*

runt, quò nos injuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſsitas traxerat: obedientiam planè profitetur, ſi ſpectes perſonas. Poſtea commemoratis verbis Zozimi ad probandum neceſſitatem Baptiſmi, Subdit: *In his verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua atque fundata certa, & clara eſt Catholica fides, ut de illa nefas ſit dubitare Chriſtiano.* Zozimi Papæ doctrinam non uti privati hominis, ſed totius Eccleſiæ commendat, de qua dubitare nefas ſit, quòd ratione Sedis communis ſit. Epiſt. 162. in qua illam celebrem ſcribit ſententiam de Eccleſia Romana. *In qua ſemper*, inquit, *Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*, narrat in Cauſa Donatiſtarum judicium Apoſtolicæ Sedis expectatum fuiſſe.

Pergo ad Bonifacium. Cui cum dirigeret ac dicaret præclaros illos ſuos quatuor contra duas Epiſtolas Pelagianorum libros, & facto ſuperiorem in eo authoritatem agnovit, & verbis expreſſit. Legat qui noſſe utrunque velit caput Primum libri primi. Ego pauca in rem ſeligo & produco. *Cum communis ſit omnibus nobis, qui ſungimur Epiſcopatus officio quamvis ipſe in eo præemineas faſtigio ſpeculæ Paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adjuvantibus orationibus tuis donare dignetur &c.* Epiſcopi ſpeculatores ſunt: ſed Romanus in faſtigio eſt, ut & populos & Epiſcopos ſpeculetur & recognoſcat. Alii ſuas oves curant. Papa *curat Oves ovium que Magiſtros.*

Jam ſuum opus ſubjicit Bonifacio, *Hæc quæ iſtis* inquit

inquit, *ut dixi, duabus Epistolis illorum istâ disputatione respondeo ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam objicienda, quàm examinanda, &* UBI FORSITAN ALIQUID DISPLICUERIT, EMENDANDA CONSTITUI. Non erat, ingeniosior, non acutior, non doctior, non eruditior Augustino; opinor, Bonifacius: erat tamen Summus Pontifex, ratione Cathedræ doctrina & Authoritate Superior: cum ejus Fides Fidem Capitis repræsentaret: quæ ad totam Ecclesiam pertinebat. Id Augustinus agnovit. Sed novatores negant, nimirum non sunt Augustini, quòd si essent minimè negarent. Certè neque ingenio, neque judicio, neque eruditione, neque Sanctitate sunt cum Augustino comparandi. Ajunt eum modestiæ Causâ fecisse. Cur igitur ii faciunt impudenter! cur illam modestiam non imitantur? Sciant Augustino charam fuisse modestiam, sed multo chariorem modestiâ veritatem. Ac nisi modestia veritate niteretur, nocum illum non modestiam fore à quo Augustinus omnium maximè alienus. Justitia sanè fuit, quæ modestiam illam imperavit, quam qui non profitentur, oportet eos & inverecundos & injustos esse. Hujus autem demissionis perpetuus Cultor fuit Augustinus, uti apparet ex variis operum illius locis, in quibus Authoritatem Romanæ Sedis confirmat, & extollit, ejusque præsidio contrarias hæreses expugnat, quemadmodum sæpius supra diximus: patetque ex tribus clarissimis locis lib. 1. contra Julianum c. 4. & lib. 2. de Peccato Originali cap. 7. & Epist. 162.

QUÆSTIO III.

Quomodo hæc Prærogativa Authoritatis ſit in Romano Pontifice?

ARTICULUS I.

Sintne Controverſiæ de Fide? Utrum ad eas componendas Judex, & quis futurus ſit?

NOvatores ſuperioris ſeculi, & noſtri negant de Fidei myſteriis rebuſque, in Sacris litteris contentis controverſias poſſe exiſtere, quòd omnia ſint perſpicua. Addunt: in iis contineri omnia, tum ad credendum, tum ad rectè vivendum neceſſaria. Itaque Scripturam ſolam abundè eſſe, & pro judice, & pro Face; modò unuſquiſque privato ſpiritu attendat & conſulat. Id Lutherani, id Calviniſtæ, ac ex eorum Scholis Sectarij diverſi mordicus tenent. Credam, ſi probent ex ipſis Scripturis omnes, quos admittunt, libros Sacros eſſe. Quomodo enim probent libros

librum Ruth, Hester, & Job, quos agnoscunt ex ipsis scripturis esse? Credam si inter ipsos conveniat de iisdem scripturæ libris. Nam Anabaptistæ Job historiam Tragico-comicam Fabulam dicunt. Lutherus Epistolam ad Hebræos, & Jacobi excludit. Castellio Canticum Canticorum Cantilenam de Amicula impuram appellat. Beza caput 8. Joannis amputatâ de Adulterâ historiâ detruncat, & locum illum Lucæ 22. *Hic est Calix* novum Testamentum, &c. fœdè corrumpit. Apocalypsi Joannes Brentius, & Kemnitius, non omnino acquiescunt. In tribus Matthæi, Marci, Lucæ, Evangeliis Lutherus multa desiderat. Solum Joannis perfectum, & absolutum putat. Quomodo igitur qui de ipsis scripturarum libris inter se dissentiunt, negant de locis sensuque eorum controversias posse existere? Sanè id Heterodoxi jam inde ab initio Ecclesiæ ad nostra usque tempora errando monstrarunt. Nemo Hæresiarcha fuit, quin Hæresi suæ Patrocinium in scripturis quæsierit, eique clypeum sacræ authoritatis obtenderit. Id Arius, id Eunomius, id Macedonius, id Eutyches, id Nestorius, id Dioscorus, id Manes, id Pelagius, id Priscillianus, id Donatus, id Novatus, id Cæteri Hæreticorum Principes jactarunt. Non igitur eo nobis fuco Lutherus, & Calvinus imponent. Quid? quod contrariæ, interque se repugnantes hæreses quasi collisu quodam scintillas hujusce veritatis, quam ostendo, emittunt. Rectè enim omnino Tertullianus dixit, *quemadmodum Christus Homo in-*

ter duos Latrones, ita & Christum veritatem, inter duos Hæreticos crucifigi. Nam si Scriptura ipsa controversias non pateretur, omnis ea in contrarias partes dissensio tolleretur: nec locus esset pugnandi locis diversis Scripturarum. Et quis enim cùm sensus sacri textus manifestè constaret, auderet, aut negare, aut no affirmato contrà sentire, nedum eum in oppositam partem traducere? Pauca, sed idonea exempla producam. Ebion Matrimonium teste Ignatio Epist. ad Romanos. Elxai Virginitatem, Justino in Apolog. damnavit: uterque testimonio Scripturarum. Eutyches unam in Christo naturam, Nestorius Personas in Christo duas posuit; ambo argumento scripturarum.

Noetiani, Patrem Deum Passum aiebant: Manichæi, ne Christum quidem hominem, Passum affirmabant: Hi, & illi Authore Scripturâ. Priscillianus omnia Fato dedit, Pelagius libertati. Unus & alter nixi Scripturis. Veniamus ad Recentes. Multum inter se Lutherus, & Calvinus, uno tamen Spiritu, ut aiunt, ex Scripturis hausto dissentiunt. A Luthero Zuinglius, ab utroque Calvinus circa Eucharistiam dissidet, eodem suadente verbo Dei quod Christi verba *Hoc est Corpus meum*: oppositis apud illos sensibus interpretatur. Aliter Lutherani, aliter Anabaptistæ de Baptismo sentiunt, & aliquantò aliter Calviniani. Omnes tamen freti locis Scripturarum. Digladiantur inter se Arminius, & Gomarus: si causam rogemus? Est diversa intelligentia Sacrarum literarum. Imo in quibus

à Lu-

à Luthero Carolſtadius, Philippus, Bucerus, Oecolampadius, Brencius, Kemninitus, aliique diſcordant, nituntur Scripturarum authoritate. Ex hoc fonte Molles: Rigidi, Mixti Lutherani tanquam Rivuli emanarunt. Quæ à Molinæo, Alamanno, Carpentario, Arminio, Gommaro, Amyraldo contraria Calvino Magiſtro ſuo traduntur, Sacræ Paginæ locis confirmantur. Horum præſidiis Cauſſarii, Liberi, Pacifici, Puritani, Arminiani, Juniani, Gommariſtæ, totidem illius Hydræ Capita muniuntur. Itaque nulli magis controverſias de Fide, & ſcripturis eſſe poſſe confirmant, quam qui maximè Hæretici negant. Idque ratio ipſa, qua præpoſtere utuntur, demonſtrat. Nam cum quiſque privato ſpiritu interpretetur ſcripturam, idque liceat non ſolum hominibus illiteratis, ſed etiam ſordidis, imo & mulierculis, & ſcortis, neceſſe eſt, varios & diſſonos ſenſus exiſtere: quin & contrarios ſæpe pugnantesq; invenirí. Unde fit, ut quotidie novæ prodeant Sectæ, Sectarumque authores, & plures in dies prodituræ ſint, quòd illa interpretandi libdo longè lateque pervagata Virgineam Sacræ Scripturæ puritatem corrupit. Et quid aliud ſperandum ab iis, qui eam uti Virginem illibatam diligenter cuſtoditam, è ſacrario ſuo in publicum produxerunt, & in propatulo tanquam Proſtibulum omnium libidini expoſuerunt.

Quod in Romana Eccleſia fieri nequit. Nam non privato Spiritu, ſed communi Eccleſiæ, ab Apoſtolis per Patres tranſmiſſo ſenſu, Scripturas interpre-

terpretatur, qui cum ſit unus & conſtans, & publicus, multiplex ac diſcors eſſe non poteſt. Si autem nova controverſia exiſtit, quod interdum neceſſe eſt tot hæreſibus emergentibus contingat, eam non niſi aut per Concilia, aut per Summum Pontificem nullo prætermiſſo examinis, conſultationis, diſputationis, orationis officio definit. Hinc eſt, ut ſola Romana Eccleſia una ſemper, & incorrupta manſerit; & quæ Virginem Scripturam ſervavit, ea virgo & Sponſa exiterit.

At facem dicunt Scripturam. Bene eſt, quòd dicunt *Facem*: quam ſcilicet & manu ſua accendant, & flatu extinguant pro libitu. Ego Solem mallem à quo Lucem accipiant, nec immutent: ſolis Aquilis pervium, non veſpertilionibus; qui lucernas circumvolant, & oleum exigunt, ut extinguant obnoxium. Hæc eò dico, quoniam teſte Maldonato *illud ſemper in ore habent: Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sed *illi*, inquit, *pedibus Scripturam intelligunt.* Aut, ut ego, *extinguunt* flatu ſuperbiæ, eſt enim iis *Pes ſuperbiæ* quo David carere optabat. Eo Lucernam vel impacto dejiciunt, vel impreſſo conculcant. Certe niſi Scriptura alta & profunda ac obſcura eſſet, non diceret Lucas c. 24. n. 45. *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Si paterent omnibus, non hortaretur auditores ſuos Chriſtus: *Scrutamini Scripturas*, ad eas penitus introſpiciendas, & penetrandas. Si legere tantùm opus eſſet, non indigeret ſacro interprete Eunuchus ille Iſaiam legens: & tamen tam indiguit, ut dixerit:

erit: *Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Si cuique liceret interpretari proprio spiritu, non esset singularis *Interpretatio sermonum* apud Paulum: nec staret illa ejus 1. ad Corinth: 12. sententia: *Nunquid omnes interpretantur?* Certè Petrus Epist. 2. c. 3. affirmat in Paulo esse *quædam difficilia intellectu*, quæ nisi in eo, ac cæteris Sacris Authoribus invenirentur, nemo *Scripturas* teste Petro *depravaret* ad suam ipsius *perditionem*. Et quidem obscuras eas esse ac difficiles intellectu, ipsimet quibus eæ primum concreditæ sunt Judæi testantur, Christi Messiæ adventum negantes, imo & ipsi Hæretici, qui Judæis similes ad ejurandas hæreses suas testimoniis æque perspicuis adduci nolunt.

Igitur Controversias esse, ac sæpe existere, & de Scriptura, & de Fide, pro comperto habendum. Quod cum verum sit, necesse est, ut Judex aliquis constituatur, cujus judicio dirimantur. Et quidem Scriptura ipsa Judex esse non potest, etsi regula judicandi sit, ac secundum eam semper, contra eam nunquam judicandum. Ecquis autem præter Ecclesiam? Huic enim primum Sacrorum librorum Canonem acceptum debemus. Ita censet Irenæus lib. 3. adversus hæreses, c. 2. 3. & 4. & Tertullianus l. 4. adversus Marcionem, & Augustinus. l. 33. cont. Faust. & lib 2. contra Julian. c. 6. & lib. 2. de Doctr. Christ. c. 8. & Epist. 36. & in lib. contra Epistol. Manich. c. 5. ubi illa omnium ore decantata sententia.

Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret Authoritas. Idque definiit Concilium Toletanum 1. Cùm itaque hæc sit omnium maxima controversia. *Qui libri sint Sacri*, quòd omnium veritatum Fontes in iis insint: ac de illa judicium ad Ecclesiam pertineat, ad eandem debent aliæ pertinere. Nec eam veritatem negare Lutherus est ausus: nam lib. de Captivit. Babylonica, ubi de Ordinis Sacramento agit, fatetur Ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei à verbis hominum: idque in Augustanis Comitiis Lutherani concesserunt, negat tamen Lutherus *Ecclesiam judicem ejus esse.* Timuit nempe, ne quis diceret Ecclesiam superiorem fore. At is timor ex imprudentia ortus est: nam Judex qui ad judicandum leges inquirit & examinat, ut, omnia secundum eas, ac nihil præter eas judicet, non proinde supra leges est: atque adeo Judex esse potest.

Illud maneat Scripturam Regulam Fidei esse, non tamen solam, sed cum Traditione Apostolica & Ecclesiastica ab Apostolis per manus Ecclesiæ transmissa ad Posteros.

Cujus Authoritatem etsi post veteres Hæreticos, Primum Wiclephus, deinde Erasmus, postea Lutherus elevare sint conati, ea tamen sacra, & intemerata prorsus habenda. Nec multis id ego probare volo: nam instituti mei non est: sed non ideo tamen omittam indicare. Lucæ Evangelistæ Traditio in partem Evangelij transiit.

Ait

Ait enim initio Evangelij ſui: ſcribere ſe res *ſicut tradiderunt*, inquit, *nobis qui ab initio viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis*. Et non vidiſſe ſe fatetur, & ab iis qui viderunt narrando accepiſſe. Quid Marcus? nonne ipſe, teſte Hieronymo, Evangelium ſuum ſicuti à Petro audierat, ſcripſit, rogatus à Fratribus? Paulus verò 2. ad Theſſalon. c. 2. Traditiones ſervari præcepit. *Tenete Traditiones quas accepiſtis*. Quin & ad Corinthios Epiſt. 1. c. 11. contentioſos objectâ conſuetudine, & ſua & Eccleſiæ refrenat. Cur non ſcripturis? Perindè erat Traditio. Chriſtus ipſe ſæpe ſecundum conſuetudinem operatus legitur. Certè Hæretici multos Sacræ Scripturæ libros traditione retinent. Imo & Cæremonias quas obſervant, magna ex parte traditione acceperunt. Ac ut unum objiciam, quod deglutire non poſſint, dicant, unde acceperunt *Diei Dominicæ obſervationem*? Nam ſi Scripturas conſulant, non invenient præceptum eam diem Celebrandi: imo ſemel tantum nomen diei dominicæ id eſt, Apocalypſis 1. quem multi librum non recipiunt, reperient. Quòd ſi reſpondeant: præcipi in ſcripturis, ut dies Sanctificetur aliquis, in iiſdem invenient eum diem Sabbatum fore. Itaque aut celebrent Sabbatum, non dominicam, aut ſi dominicam malunt, proferant locum Scripturæ, in quo id præcipiatur: quem cum proferre nequeant, neceſſe eſt ad Traditionem confugere.

Atque hic obiter dicam: mirari me Heterodoxorum quorundam morem, qui cum jejunia, & solennes supplicationes, & publicas in iis preces detestentur, tamen si quod imminet temporale malum vel ab æstu, vel à pluvia, pro illo avertendo Jejunia & supplicationes indicunt: sed illud conjicio, non pro se suisque animabus, sed pro segetibus, pecudibusque orare. Itaque pro inanimis & Brutis ea licent, pro hominibus non licebunt: Idque testimonio Scripturarum! quo etiam nititur illa consuetudo laudabilis donandi Amicis ad ducendum funus concurrentibus xæniola; nam cum inter ea soleant vittæ quoque cum Chirothecis donari, significant se per manus defuncti vitam accipere, ut ad se cum munusculis transferant, quibus ligari ac devinciri ad servandam memoriam profitentur. Hæc ex Scripturis didicerunt. Imo & Ramusculos præferre manibus ex eodem instituto solent, quòd legunt in Evangelio Christum à Betphage Hierosolyma venientem Ramis & Frondibus exceptum. Sed ille vivus & in triumpho, hi mortui & in funere: perinde enim est iis mori ac triumphare. Unum assequi non possum, quare in Christi Triumpho Rami in terram abjecti sint, non manu præfati; in horum verò funere Rami manibus præferantur, cùm potius ex dolore abjiciendi essent. Sed Christus in suo triumpho meditabatur mortem, illi in media morte triumphum meditantur. Ita exponunt Evangelium: ac eo morem suum confirmant.

Quod

Quod ſi protervi in negando ſint, obruam mole authoritatum ſub qua fatiſcant & ringantur. Traditiones ſtatuit Ignatius; Egeſippus, Papias apud Euſebium lib. 3. Eccleſiaſt. Hiſt. c. 32. 36. & 39. Dionyſ. lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 1. Clemens Alexand. lib. de Paſcha. & lib. 1. Strom. & 5. Origen. Hom. 5. in Numer. Irenæus lib. 3. c. 3. & 4. Tertullianus lib. de Corona militis. Cyprianus de ablut. Pedum. Baſilius. lib. de Spiritu Sancto. c. 27. & 29. & lib. contra Eunom. Chryſoſt. orat. 4. in Epiſt. 2. ad Theſſalon. ac ex eo Theophylactus. Epiphanius hæreſi. 61. Hieron. lib. contra Luciferianos. Theodoretus in Epiſt. 2. Pauli ad Theſſal. c. 2. Damaſcenus lib. 4. c. 13. & 17. & omnium clariſſime & copioſiſſime Auguſtinus. Epiſt. 118. & 119. ad Januarium, & Epiſt. 86. ad Caſulanum. & lib. 1. contra Creſconium. c. 32. & 33. & lib. 2. contra Julianum c. & 16. & lib. 2. de Baptiſmo de contra Donatiſtas. c. 7. & lib. 4. c. 24. & lib. 5. c. 23. & 26. & lib. de Geneſi. ad litter. 10. c. 23. & lib. contr. Epiſt. Fundamenti. c. 5. & lib. de utilit credendi. & lib. de moribus Eccleſ. Cathol. & lib de Hæreſibus. cap. 53. Itaque eas Traditiones tanquam munitiſſimæ authoritres Patres Hæreticis ſemper oppoſuerunt. Policarpus, Tertullianus, Irenæus, Marcioni & Valentino: Epiphanius, Melchiſedechianis, & Aerianis, & Apoſtolicis. Hieronymus Vigilantio, Montano, Luciferianis. Auguſtinus Donatiſtis, Manichæis, Pelagianis, perinde penè par in iis eſſet, ac in Sacris litteris pondus Authoritatis. Uti enim ait Baſilius lib. de Spiritu Sancto. c. 27. *Dog-*

dogmata quæ in Eccleſia ſervantur & prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum TRADITIONE *in myſterio vel nos delata recipimus. Quæ utraque eandem ad Pietatem vim habent, & nemo his contradicit qui vel mediocrem ſalvem Eccleſiaſticorum jurium ex perientiam habet.* Et Epiphanius paulo ante citatus. *Oportet autem & traditione uti. Non enim Omnia à Divina ſcriptura poſſunt accipi. Quapropter aliqua in ſcriptis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit ſanctus Apoſtolus Sicut tradidi vobis.* Et Auguſtinus expreſſius ac de ijs quas Eccleſia retinet, ſervatque traditionibus ad Novatores confutandos accomodatius. *Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel Plenarijs conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima Authoritas, commendata atque ſtatuta retineri: ſicut quod Domini paſſio, & Reſurrectio & Aſcenſio in Cœlum anniverſaria ſolennitate celebrantur, etſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ob univerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia.* Deijs inquit, *Inſolentiſſimæ inſaniæ eſt diſputare, an Faciendum ſit quod tota per orbem frequentat Eccleſia.* Puto autem nos qui Romani ſumus in eadem qua Auguſtinus Eccleſia eſſe non in Donatiſtarum, aut Manichæorum, aut Novatiſtarum, aut Pelagianorum, aut Priſcillianiſtarum, aut Arianorum quorum Auguſtini tempore hæreſes vigebant, quas noſtris temporibus Novatores ſuſcitarunt. Nihil illi tuæ Catholicæ Eccleſiæ nocuerunt,

nihil

nihil hi ſuis erroribus nocebunt, nec quod omnes extra Eccleſiam ſint, Catholicæ quicquam Eccleſiæ authoritati detrahent. Ejus nos cum Auguſtino Fidem & doctrinam cum Traditionibus amplexamur.

Hujus igitur Regulæ Fidei ex Verbo Dei ſcripto & tradito compoſitæ, Judex Eccleſia eſt cum Authoritate interpretandi, ab poſteris ipſorum interpretationem definiendi: quoties Controverſiæ ortæ fuerint. Hac ratione Scripturæ ſeries Canonica conſtat. Hac ſymbolum Apoſtolicum. Hac Proceſſio Spiritus Sancti à Patre & Filio. Hac Originis Perſonarum, ut Pater à ſe: Filius à Patre: Spiritus Sanctus ab utroque ſit. Hac ut ſolus Filius ſit Genitus, cum Spiritus Sanctus Genitus eſſe non poſſit. Hac Beatæ Mariæ virginitas incorrupta. Hac neceſſitas Baptizandorum Parvulorum. Hac prohibitio Rebaptizandi. Hac pleraque alia, ad Sacramenta, & ſacras Eccleſiæ ceremonias, ad Mores pertinentia, de quibus optime Tertullianus lib. de Corona Militis. *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix: Conſuetudo confirmatrix: & Fides obſervatrix.*

Duobus autem modis hujuſmodi judicium exercereâ poteſt Eccleſia; Propoſitâ Controverſia. vel *Per* concilia juſta & legitima, cujuſmodi ea ſupra deſcripſimus: vel Per Papam, qui eſt & Caput

put & princeps Eccleſiæ. In utroque autem eſt Authoritas certa & infallibilis; quemadmodum proxime oſtendemus.

Et quidem de Conciliis nemo Catholicus, pauci hæretici dubitant. De Papa cum omnes hæretici negent, & nonnulli quantumvis paucissimi (inter quos eſt Thomas Anglicus) Catholici dubitare videantur, volo ſingulari articulo rem probare.

ARTICULUS.

ARTICULUS II.

Pontificem Romanum esse Judicem Controversiarum certum constantemque probatur.

DAto Controversias interdum existere, in Ecclesia Dei, ejusque Caput & Pastorem esse Pontificem; eumque ex cathedra decernentem falli non posse, Verum & sequens omnino videtur, eum controversiarum Judicem fore. Ut tamen id justis argumentis constet, rationem excogitabo.

Ac primum ex veteri Testamento constat Synagogum supremum controversiarum de lege ac jure principem Sacerdotem Judicem habuisse. unde duo existunt argumenta. Alterum Ecclesiam Dei Synagogâ longè perfectiorem, & gratiorem, eâ Prærogativâ cavere non posse. Alterum cum Synagoga Ecclesiæ Figuram gereret, & omnia illi in Figura teste Divo Paulo contingerent, eo item Futurum in Ecclesia judicem Romanum Pontifi-

cem fore significaret, Locos demus Unus esto; Exo. 1. 8. quo utitur D. Bernardus. lib. 2. ad Eugenium cap. 8. Jethro ore ad Moysen: *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut ostendas populo cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant. Provida autem de omni plebe viros Sapientes qui judicent populum omni tempore. Quicquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent. Si hoc feceris implebis imperium Domini.* Ac nequis opponat Moysi, non Aaroni hæc dici. Prima hæc potestas Moysi danda erat quod Caput & Princeps Populi tunc erat, & summus Sacerdos, nondum Aarone. justituto: Quod autem Moyses Summus Sacerdos fuerit, constat ex Psalmo. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Et quidem, ut propositum à Jethro, ita re præstitum à Moyse ac Populo; nam n. 26. ejusdem capitis, *Quicquid gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodo judicabant inter se.* Eo quod agendum erat in Ecclesia Dei, ut Episcopis omnes Hierarchici ministri minores Causas Fidei & morum, majores & graviores Summus Pontifex examinet ac definiat.

A Moyse ad Summos Sacerdotes transmissam hujusmodi potestatem fuisse, ac sicut in eo instituta ita in reliquis constitisse, patet ex multis Scripturæ locis; quos ut distinctius proponam, assumo duo Concilia, vel Senatus dios Judicum fuisse: alterum majus quod Synedrion, alterum minus, quod Anonymon: illud Septuaginta, hoc tribus et viginti viris constabat. Illud Hierosolymis, istud in

singulis

ſingulis civitatibus reſidebat.

Id ſumptum ex cap. iſto 18. *Exod.* & Deut. 16. & 17. diſtincte proponitur Paral. 2. 19. &c. 19. cumutrunque inſtauratum eſt à Joſaphat Judæ Rege Concilium. ibi n. n. 5. *Conſtituit Judices terræ in civitatibus cunctis Judæ*: Et mox *Præcipiens Judicibus ait*: *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini.* Et n. 8. In *Hieruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas & Sacerdotes, ut cauſam Domini judicarent.* Et duo Senatus. Nunc hujuſce Majoris id eſt, Sanhedrin, ſeu Synedrij prærogativam in judicando videamus: uti nimirum ad eum minorum Senatuum conſulta referrentur. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos Fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis inter cognationem & cognationem, ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de juſtificationibus oſtendite eis.* Quod autem caput eſt, Summum Pontificem Judicio præeſſe, & ſuprenam in definiendo authoritatem obtinere, habetur. n. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit.* Hujus authoritatis. Fons Deuter. 17. n. 12. continetur. ubi ſic: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Tota illa Judicum multitudo à capite iſto pendebat: & ad Sacerdotis arbitrium omne tandem judicium revocatum: ideo Capitale erat Capiti non obedire. Teſtatur id Joſephus. lib. 2. contr. Appionem. *Pontifex* inquit, *ante alios Sacerdotes Deo ſacrificat, leges cuſtodit, di-*

dicat controversias convictos delicti; cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius. Vicem profecto Dei gerebat judicando ille, cui non parere judicanti impium erat & capitale. Itaque eo loco Deuteronomij utitur Innocentius III. cap. *Per venerabilem qui filij sint legitimi.* Constat igitur Senatum esse, & hujus Senatus Caput & Principem Pontificem esse: quod clarius exprimitur n. 9. *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore.* A. Unus erat Sacerdos & Judex, & ad definiendum & ad condemnandum. Uti patet ex loco Deuter. 17. Non enim dicitur Sacerdotum & Judicum, sed *Sacerdotis, & Judicis.* Nec objiceris judicium illud ideo valere, quia secundum leges fiebat, unde virtute legum, non privati judicij Sacerdoti parendum; quod Beza opposuit nixus loco Deut. 17. *Facies quodcunque docuerint juxta legem ejus.* Nam hoc in objicientem retorquetur. Manifeste enim supponitur judicium illud semper juxta legem fore: quod nos de Papa diximus. Imo ad id eum consuli, ut in dubijs mentem legis exponat, quam cum exposuerit assentiantur dubitantes. Alioqui frustra esset consultatio, si ille errare posset; & ab alio corrigi: necesse enim esset ad alium Judicem provocare, & gradatim in infinitum procedere. Id nos eodemmet objecto loco docet, *Hebraica veritas* sic enim 7. *Facies secundum verbum quod nutiaverint tibi ex loco quem elegerit Dominus. Et custodies valde ut facias secundum omnia quæ sancita fuerint tibi,*

ſecundum legem & juxta judicium, quod dixerint tibi facies. Perinde ac quæ doceant, quæ dicant, ex lege ſint, ac ita conjuncta cum lege, ut lex in ijs ac per eos loqui videatur. Clarius adhuc Sanctes Paginus. *Facies ſecundum ſermonem verbi quod annuntiabunt tibi; & cuſtodies faciendo juxta omnia quæ docebunt te, juxta ſermonem Legis quem docebunt te, & ſecundum judicium quod dicent tibi facies.* Ex ore igitur Sacerdotum pendere debebat Conſultor & dictis obedire: nec novam inſtituere quæſtionem: ſeque ſuperiorem examinando judicem conſtituere: quod Hæretici faciunt: ut omnia arbitrio ſuo ſuſpendant, ſuſpenſaque deſmiant.

Aliud nobile argumentum ſuppeditat Fons, & Radix hujus quam aſtruximus authoritatis: Quæ ſane in loco & munere conſiſtit. Nemo eſt enim qui neſciat quos Deus ad eam dignitatem evexerat multa ijs ſingularia conceſſiſſe, ut inter cæteros & præſtarent & eminerent. Uti enim erant in faſtigio dignitatis, ita & culmen Authoritatis obtinebant.

Hinc illa inauguratio: hinc illa majeſtas: hinc illa capitis corporis que ornamenta: hinc illa in Capite Cydaris, Hinc in Fronte Lunatum Aurum, hinc in humeris ambitioſa ſuper humeralis ex auro, purpura, byſſo, Hyacinthoque textura, ex alto ſinuoſo plexu ad pectus uſque excurrens: hinc illud in Pectore quadratum Rationalis judicii Monile, illuſtratum auro, baccatum gemmis, cælatis nominibus pretioſe vocale nodoſis faſciarum ſpiris, & mordentis

auri Catenulis vinctum omni libertate jucundius. Hinc illa Tunica Hyacinthina, laxis augusta sinubus prolixâ longitudine talaris, ora in mala Punica luxuriosè fruticante, & tintinnabulorum arguto sonitu garrulè tinniente, & pedum pulsui numerosè respondenti, ut & stantis Imago, & Incedentis quiddam humano majus spiraret.

Verus ut aspectu Deus inceſſuque pateret. Totus hic habitus Authoritatem præ se ferebat, & quot erat ornamenta, tot erat testimonia veritatis. Cujus Sacrū illud Pectus Sedes erat: in quo nimirum *Urim & Thummim Doctrinâ & Veritas* habitabant. Ita rem providente Deo, ut doceret in ea Persona non humanæ conditionis, sed Pontificiæ dignitatis habendam esse rationem. Idcirco cum accipienda erant ab eo veritatis Oracula, illo indui vestitu opus erat, ut quæ diceret non à privato, sed à Pontifice aliam gerente Personam prolata viderentur. Huic illa vox ad eos Regum *Applica Ephod.* tum Arcanum aliquid, & Deo tantùm cognitum revelari sibi vellent: nam cum Divinum sit futura occultaque prædicere ac prodere, oportebat ad ea divinanda & patefacienda Pontificem habitu & dignitate Divinam quandam speciem exhibere. Et quidem uno è quatuor modis Deum ille patiebatur. Aut per Angelum inspirantem, aut per Spiritum afflantem, aut per notas è cælo demissas, aut per radios lucis eximiæ in lapillos Pectoris impactos, & in oculos intuentium promicantes. Qui postremus Josephò placuit. Certè ut varietas in modo esset

eſſet, nunquam fuit in judicio inconſtantia : ſemper ille vera, dum Synagoga ſponſa fuit, & dixit & portendit. Imo & adulterâ jam & corruptiſſimâ, certiſſima quædam ejus authoritatis ſigna manſerunt. Nam & Caiphas prophetavit, & Ananiam Paulus coluit. Tanta erat vis dignitatis, ut præcipiti jam dejectâque Synagogâ in ſuo adhuc veſtigio conſiſteret. Imo & ipſius Chriſti teſtimonio conſtat, magnum eſſe virtutem Cathedræ Moyſi in qua Scribæ, & Phariſæi ſedebant ad Plebem erudiendam: quod & ſupra tetigimus, & cum Auguſtino expendimus, qui ejus rei aptiſſimam rationem reddidit. Non poſſe eos in aliena Cathedra ſua docere. Ita cum illam aſcenderent, ſuas opinationes deponebant, cum inſiderent Cœleſtis in eos doctrina incidebat. Unde quicquid docebant faciendum eſſe Chriſtus ſuadebat, quicquid faciebant agendum eſſe vetabat, quòd facta erant propria verba aliena, illa Perſonam, hæc Cathedram ſequebantur.

Nunc ad Romanum Pontificem veniamus, quem ille haud dubiè figurabat. Quanta ejus eſt, ac eſſe debet Authoritas, qui in altiſſimo locatus culmine dignitatis? Qui in Cathedra Petri ſedet ejuſque Claves gerit, datæ à Chriſto inſignia Poteteſtatis! A quo Cathedra illa inſtituta, ut qui eam inſideret Cœleſtem Magiſtrum repræſentaret, ejuſque vicem gerens Eccleſiam ſuam regeret ac doceret. Niſi forte Deo Charior fuit Synagoga Ancilla, Agari ſimilis, quàm Eccleſia Sponſa, uti

Sara

Sarae Soror & libera ? Si ergo tot & tanta & decora & ornamenta in Synagogæ collata sunt Pontificem ; quanto & plura & majora in Ecclesiæ Pontificem conferri necesse est ? Non ea dico quæ ad temporalem : & caducam conditionem spectant, sed ad Spiritualem & æternam, quâ continetur Animæ Salus pertinentia. Quanquam nec illa desiderantur, quæ faciant ad dignitatem. Sacratior Inauguratio, Sanctior Consecratio, Religiosior professio, status purior, Sacerdotium Divinius, potestas amplior, majestas augustior. Dignus famè ob eam in qua constitutus est dignitatè, ut ab eo veritatis Oracula petantur: quæ ille cum solennitore, ac uti Magister ex Cathedra suâ pronuntiat, falsa esse non possunt. Non enim tum privatus loquitur, sed uti Christi Vicarius, quæ virtute Cathedræ inspiratur dictat, nec tam suo quàm alieno atque adeo Christi Spiritu agitur, & movetur : ut nemini Catholico de eorum, quæ definit, dubitare liceat veritate. Nam etsi homo sit, & nihil ab eo humani alienum putemus, cum tamen ex Cathedra tanquam Caput loquitur, & publicam Pontificis personam gerit, ea ejus alienum putamus. Itaque provideri à Deo dicimus, ne quid obrepat quod officiat veritati. Quicquid ad id opus fuerit Supremum Numen suaviter disponet, & sine quo ne folium quidem arboris motatur, & cadit, illud efficiet ut Pontificis oracula plusquam Sibillina sint. Folia, in quibus ea multo quàm in ære perenius inscribantur.

Nec

Nec turbata volent rapidis ludibria ventis.

Itaque à Romano Pontifice Universus Orbis Christianus *In dubiis responsa petit*, & olim à Cathedra Romæ erecta undique missis & legationibus, & litteris postulavit. De quo, etsi supra commemoravimus, oportet & nunc aliquid commemoremus. Anacletus Epist. 1. de oppressione Clericorum. *Difficiliores*, inquit, *quæstiones, & majores causæ ad Sedem Apostolicam referantur.* Euaristus: *Ad sedem Apostolicam tanquam ad Caput sunt dubia referenda.* Alexander I. Epist. ad omnes Orthodoxos.. *Hujus Sanctæ & Apostolicæ Sedis Apici summarum dispositiones Causarum & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi Capiti...* Zepherinus Epist. ad Episcopos Sicilianos: *Majores Ecclesiæ Causæ à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli statuerunt, sunt terminandæ, juxta illud : Quodcunque ligaveris.* Julius Epist. ad Orientales Episcopos: *Conciliorum convocandorum jura & majores Causas ad Sedem Apostolicam Evangelicis Apostolicisque institutis referri oportet. Id à Sanctis Apostolis & Successoribus eorum, id à Niceno Concilio definitum est* Citatque caput. 18. Concilij in hæc verba: *Omnes Episcopi in gravioribus Causis liberi Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant : cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas Causas antiqua Apostolorum Auctoritas re-*

ſervavit. Idem tradunt ſtatuiſſe Concilium Nicenum, Athanaſius, & Pontifices Ægyptiorum Thebaidis, & Libyæ in Epiſt ad Felicem. Ac illum Canonem nomine Niceni Concilij protulerunt in Sexta Synodo Carthaginienſi Fauſtinus, Philippus, & Aſellius Apoſtolicæ Sedis legâti ex litteris Zozimi Papæ. In eandem ſententiam ſcribit Innocentius I. ad Victricium, & Leo ad Theodoſium Juniorem. Damaſus ad Epiſcopos trium Concil. Africanorum: *Summas Cauſarum definiri abſque Sedis Romanæ authoritate non licet*. Innocentij I. Egregium eſt in Epiſt. ad duo Concilia Carthaginienſe & Milevitanum teſtimonium. *Congrua Apoſtolicæ Sedis arcana conſulitis antiquæ regulæ formam ſecuti, quam tota ſemper ab orbe noſtris eſſe ſervatam, præſertim quoties Fidei ratio ventilatur*. Nec id Patres negarunt, imo fateri conſulendo Innocentium occuparunt. Id Sixtus I. ad Gallicanas Eccleſias. Id Eleutherius ad eaſdem affirmat. Id Pius I. ad omnes Eccleſias. Id Victor Epiſt. ad Theophilum. Id Marcellus ad Epiſcopos Antiochenos. Id Euſebius ad Campanos & Thuſcos. Id Melchiades ad Hiſpanos. Id Marcus ad Athanaſium. Id Leo ad Anaſtaſium Epiſt. 54. & Epiſt. 67. ad Epiſcopos Viennenſes. Id Vigilius in Decretis ſuis. cap. ult. Id Gelaſius ad Anaſtaſium Auguſtum. Id Pelagius II. ad Epiſcopos, qui Conſtantinopolim convenerant. Id Gregorius Epiſt. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum. Id plerique alii Pontifices, qui citantur

tur 12. dist. & 17. & 19. & 20. 21. & 22. & 80. dist. c. *urbes*. & 96. dist. c. *Bene*. & 24. quæst. 1. & 25. quæst. 1. & de Electione. c. *Significasti*. & de Privilegio c. *antiqua*. & de Baptismo c. *Majores*. & de Elect. in 6. c. Fundamenta, & in Extravag. *Vnam Sanctam*. Imo tam certa & constans hæc esse veritas debet, ut qui neget Pontificum Romanorum *verum esse in dubiis & Controversiis Fidei judicem* Athore Irenæo lib. 2. contra Valentinum, *Ecclesiæ authoritatem neget*. Quare Pontifices ipsi Ecclesiis, quæ a Fide Catholica defeciissent, ad eandem redire volentibus scriptam credendi formulam dabant, quam servarent scriptam, ceu ad ipsos attinseret Fidei tradere documenta. Hujusmodi formulam scripsit Bonifacius Secundus in Epist. ad Eulalium Carthaginiensem Episcopum. Eandem Ormisdas ad Hispanos Episcopos misit, ut secundum eam admitterent Schismaticos resipiscentes. Eandem Adrianus ad Synodum 8. Generalem dedit. Hanc recepit Joannes Constantinopolitanus Episcopus, cùm illa Ecclesia quæ à Romana, Autore Acatio, defecerat, ad eandem redire vellet.

Age vero celebres controversias commemoremus, quæ primis illis sunt ortæ seculis, easque tandem Pontificum calculo definitas monstremus.

Quæ de tempore celebrando Paschatis agitata tot in Synodis est quæstio, ea demum a

Victore Papa transacta Anno 168. à Chriſto nato, teſte Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. c. 23. & ſeq.

Alia de Lapſis poſt Baptiſmum ad Pœnitentiam admittendis contra Novatum, deciſa eſt in Concilio Romano ſub Cornelio Papa. Anno 255. juxta Baronium, & Spondanum.

Alia de diſtinctione Perſonarum adverſus Sabellium, ſublata eſt à Conciſio Alexandrino Papa Sylveſtro, Anno Chriſti 319. ſecundum eoſdem.

Alia de unitate in Chriſto naturæ contra Entychen & Dioſcorum, ſoluta in Concilio Chalcedonenſi ſub Leone Papa. An. 464. teſte Suario & Vaſquio in 3. part. D. Thomæ & Baronio & Spondano ad eum annum.

Quid? quòd duæ in Chriſto voluntates in Concilio Generali Conſtantinopolitano 3. Papa Agathone ad tollendum Monothelitarum errorem, D. Thoma in 3. p. teſte, conſtitutæ. Iterari Baptiſmum ſemel ritè collatum poſſe, & interdum debere, cenſuit Marcion & Donatiſtæ. Oppoſitum in Romano Concilio Melchiades decidit. Errores Pelagii & Cœleſtii Innocentius I. Zozimuſque damnarunt. Semipelagianorum Cœleſtinus & Leo, quemadmodum conſtat ex Auguſtino & Proſpero. Non omnes denique exortas in Eccleſia controverſias libet enumerare. Quæcunque aliæ fuerint ad

Apoſtolicam ſunt Sedem relatæ, & Pontificum Judicio definitæ.

Eas exactiſſimè Baronius, Biniuſque, & Spondanus commemorant. Ut verum id eſſe perpetua Eccleſia per omnes ætates Conſuetudo traditione venerabili confirmet. Ego unum, vel alterum afferre volo.

Graviſſima & celeberima illa de Prædeſtinatione inter Gottenſcalcum & Hincmarum ſeculo octingenteſimo orta, & Annis ferme triginta agitata, extitit: quæ totam Galliam tum in factiones, nunc in diſceptationes divifit. Ea tot Synodis, tot Conciliis ventilata Nicolai demum Papæ arbitrio diempta quievit, & quam tanta Epiſcoporum & Doctorum hominum, Rege item adhibito multitudo ſopire non potuit, vnius Pontificis compreſſit Authoritas.

Alteri occaſionem præbuit Abaylardus, qui veterum hæreticorum errores magna ex parte inſtaurabat.

Sed eam exorientem Bernardus ad Innocentii II. Romani tum Epiſcopi Sedem impegit, eamque impactam eliſit. Cujus teſtimonij nectare locum hunc meum aptè perfundam.

Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum periculaque, & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertimque de Fide ventilanda.

Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri

damnum ubi non possit Fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim a ori aliquando dictum est.

Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua.

Et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Id quidem modo necessarium.

Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, Principatum, probetis zelum, ministerium honoretis.

In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & Fidem, si vestrâ admonitione corda in Fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis Fidei corruptores.

Philtrum ex hoc nectare Thomæ Anglo propino, ut Celestem in eo doctrinam bibat. Ac ut irritem gulam, Petri Chrysologi sententiâ inauro, ex Epistola ad Euthychetem præfixa actis Græcolatinis Concilij Chalcedonensis. *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut his quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus,* QUI IN PROPRIA SEDE VIVIT ET PRÆSIDET, *præstat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio Pacis & Fidei extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi Causas Fidei audire no possumus.*

Hauriat & plenus Blacolus se proluat auro.

Eum

Eum jam invitare incipio, quod paulò poſteum tota mole diſputationis obruero: ſed volo priùs hoc hauſtu ſoporare, quo minùs ſentiat dolorem. Operculum hac Patina Adagio refutato digniſſimum afferam, Anſelmi Divini viri Authoritatem & claudo. Ille ad Urbanum lib. de Incarn. Verbi. c. I. *Quoniam Divina Providentia Veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam & Fidem Chriſtianam cuſtodiendum &, Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullam alium rectius refertur, ſiquid contra Catholicam Fidem oritur in Eccleſia, ut ejus authoritate corrigatur.*

ARTICULUS

ARTICULUS III.

Quomodo hæc Infallibilitas inſit Pontifici?

DIra ſciendi libido eò adegit audaces hominum mentes, ut rerum intelligentiam egreſſæ, modos quoque vellent inquirere. Modum Deus in rebus poſuit; ne rerum modos inveſtigaret audacia: ſed hæc in vetitum nixa, modum non tenuit. Adeo periit frons de rebus, ut niſi causæ modique ſciantur, res quoque ignorari exiſtimentur. Uti humana Avaritia, non contenta iis quæ natura prôtulit, & contulit in medium, ipſius viſcera ſcrutata eſt, & inteſtina terræ marisque penetravit, ſinus, & venas, & fibras omnes aperuit, & ſcidit, ut opes non ſine communis Parentis injuria gemituque extraheret: ita & cupido ſciendi, his quæ & ſenſu percipi, & evidenti ratione demonſtrari poſſunt, prætermiſſis, arcanas item rerum cauſas, & abſtruſos earum modos occultiſſimasque rationes ſcrutari perrexerunt: nec in humanis duntaxat, (ſed quod dolendum eſt maximè) in Divinis quoque tentarunt: & *fortiora ſe*

quæſi-

quæſierunt, & *altum ſapere* voluerunt, quin & vera eſſe noluerunt, quorum rationes modosque ignorarunt. Monſtroſa ſane libido, quæ ſtudio videndi cæcitatem contraxit. Nulli eſſent Ariani; ſi nollent rationem ſcrutari, cur Verbum ex Patre natum eo minus non eſſet, cum ab eo eſſet? Nulli Pelagiani ſi Gratiæ neceſſitate acceptâ, quomodo cum eo ſtare libertas poſſet, non inquirerent. Nulli Sacramentarii, ſi agnita veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia, modum quo id fieri poſſit non inveſtigarent. Id eo Graviter Tertullianus: *Philoſophos Patriarchas Hæreticorum* appellavit, quod cum ratione omnia metiantur, nihilque, niſi cujus in promptu eſt ratio ratiocinando admittant myſteria Fidei, quæ ſupra captum ſunt noſtrum, cùm non poſſent mente aſſequi, negarunt.

Hoc vitio Thomas hic noſter cum quibuſdam Heterodoxis laborat, qui Pontificis authoritatem in dubium vocant: & quòd dubitant quomodo ea Infallibilis ſit & quòd eos latet ratio, fallibilem putant. Satius eſſet locos Evangelij luce clariores, & Traditionem Eccleſiæ perpetuam (Cujus magnam eſſe vim aliàs fatetur Thomas) & totius conſenſum Eccleſiæ omnibus argumentis fortiorem expendere ad hujuſmodi Authoritatem aſſerendam: quàm ad eam negandam obſcuritate modi quo inſit in Pontifice, duci. Thomam igitur Anglum, & in eo Heterodoxos egomet mihi primùm

confutandos propono: objecta deinde ab eo eum ipsis argumenta dissolvam.

Igitur poscunt, ut aliquo visibili signo, id est miraculo, vel (uti ab ijs audivi Londini) Divino aliquo scripto, & de Cœlo lapso, tanquam Ancili probamus. Putant quippe non aliter de hac Prærogativa constare posse. Iis similes qui Deum manuum tactu quærebant, *Si forte attrectarent eum*: & illis qui *tentantes signum de Cœlo a Christo quærebant*. Quibus ego eâdem quâ Paulus & Christus ratione satisfaciam. Nam sicuti Paulus Atheniensis Poetarum Suorum testimoniis convicit, ita mihi fecit qui mecum disputabant Heterodoxos, eos argumento à suis ducto tum, & modo confutare. Quæram ex ijs an suo Luthero, Calvino, Zuinglio, Melanctoni credant Spiritum sanctum adfuisse, & quæ docuerunt inspirasse? Quod si credunt, dicant quo signo miraculóve id constet? Quod si aut non est opus miraculo: aut ij ducente, spiritu comperiunt, ne exigant à vobis, quod supervacaneum est, aut credant Spiritui Catholicorum in id consentientium. Aiunt se non ijs fidem habere, sed locis quos citant Scripturarum. At quis eos docuit, ita esse hos locos, ut ij exponunt, intelligendos? Respondent: *Spiritus*. At hic minime quidem oculis videtur. Eum vero nos ijs objicimus: non privatum sed communem totius Ecclesiæ, & per manus traditum à Patribus, Scriptura nixum. Age vero proferant locum aliquem Scripturæ, quo probent Magistris suis Spiritum

Sanctum

Sanctum adfuiſſe, qui ullo ſit modo, cum iis quibus confirmamus, Petro & ſucceſſoribus inesſe, conferendus. Non dabunt. Carent Traditione, carent authoritate Patrum, carent conſenſu Eccleſiæ, unâ abundant audaciâ. *Ex noſtris exierunt.* Quæ nota Hæreticorum eſt. Nos ubi eramus manſimus. Apud nos eſt Antiquitas, ij novitatem invexerunt. Fuit qui à me Diploma joco poſtulavit. Ludunt cum argumentantur: & ſeria omittunt. Riſi, arreſponsi. Exhibe quæſo, mihi diplomata Lutheri, Calvinoque data. An tu cum Regibus pares tuis, diplomata exigis, & eorum examines poteſtatem? Non ſolo ſcripto res probantur. Nomen prædia, & villæ, & domus interdum ſolâ præſcriptione poſſidentur, & ubi ea memoriam excedet hominum litteræ, non poſtulantur. Erubuit. Tum ego graviter. Quin perſpicuum & amplum tibi diploma repræſentare volo, quo nem confirmem. *Paſce oves meas.* Si aliud deſideras adjicio. *Confirma Fratres tuos.* Si plura, relege ante ſcripta. Invenies. Puduit eum temeritatis ſuæ: & ceteros ſi frontem habent, opinor pudebit. Itaque exemplo Chriſti petentibus miracula & ſigna: Dedi ſcripturæ teſtimonia, quale eſt *Signum Jonæ Prophetæ.* His ego & Hetero-doxos, & Catholicum Thomam refuto. Imo & hunc poſſem, ſi admittit miracula, juſto idoneoque adducto refellere; quod nemo eſt, quin commemoret. Columbæ ad Aurem Magni Gregorij viſæ conſiſtere, & ſcribenda dictare. Nam cur

in ſolo Jordane Columba ? Ibi Chriſtus ipſe re ac perſonâ. Romæ ad Tyberim Chriſti Vicarius; & virtute ac munere Chriſtus. Aptè Columba. Imo Sedes ipſa Petri, Columba eſt in Petræ fora mine, & Sponſa ſoror unica & formoſa. Cui vox ſponſi ad ejus aures non inſonabit. Perperam igitur Thomas hos Spiritus Sancti Afflatus *Commenta & portenta* Parag. 17. ad finem appellat. Nec enim nos aſſerimus hujuſmodi ſigna quæ videntur oculis, & tanguntur manibus: ſed illum afflatum dicimus, qui interiores illuſtrationes, & motus fit: quanquam ſi nobis eſſent puri defæcatique oculi, non dubito quin aliquando ſimilia Gregorianæ Columbæ miracula videremus, *nec enim eſt abbreviata manus Domini.* Sed hominum vita diſſoluta.

Et quidem Thomam ſuâ ratione urgeo. Fatetur ille, imo & jactat tum ſcripto, tum verbo ſe Myſteria Fidei ita ſolere argumentis probare, ut ad libellam naturalis luminis conformet Quod an fieri debeat, ac poſſit, & an ille præſtiterit, aut præſtiturus ſit ventilare nunc nolo, tantumacepto ab ejus jactantia, argumento ita premo. Recta ratio poſtulat, ut qui Caput Eccleſiæ Pontifex, et Paſtor eſt, is ad ſuum dirigendum regendumque Gregem & poteſtatem, & authoritatem habeat idoneam, & conſtantem: Atqui hic Grex præcipuè doctrinâ & dirigitur, & regitur; ergo neceſſe eſt, ut Pontifex, in ea & tradenda, & conformanda errare non poſſit. Quod omnino

ad

ad Providentiam Dei pertinet. Nam cum illa ſi ad eum finem dignitas inſtituta, & Sedem ille Petri teneat, viceſque repræſentet, oportet, ut à Deo accipiat, quæ ad illam ſuſtinendam, agendamque perſonam exiguntur. Equis enim quæſo Rex, aut Princeps, cum Proregem, aut Moderatorem Provinciæ, vel civitati ſuo nomine præficit, non ei cum munere confert quicquid ad illud adminiſtrandum neceſſarium eſt, non habitâ ratione Perſonæ, ſed dignitatis? Imo cum quis apud Hæreticos miniſter inſtituitur, accipere creditur ad munus ſuum exercendum idoneam cum potestate authoritatem. At hi aiunt, non accipiunt ſpiritualem Lucem aut ſcientiam, nec infallibile judicium. Nec nos affirmamus Pontifici eo ipſo quod Pontifex eſt aliquam majorem Lucem aut ſcientiam à Deo infundi: ſed dicimus eum ubi creatur Pontifex, ſpeciali providentia a Deo eſſe dirigendum, & patrocinio confirmandum; ne in ijs quæ ſui ſunt muneris errare poſſit. Quemadmodum cum Chriſtus Judam inter cæteros Apoſtolum creavit, eo ipſo quod creavit, omnia ei contulit requiſita ad apoſtolicam dignitatem, nullâ habitâ privatæ perſonæ, ſed muneris, & officij ratione, ita qui Pontifex eligatur, quicunque ille demum ſit, accipit à Chriſto, quod neceſſarium eſt ad miniſterium ſuum exercendum. Sed in Apoſtolis erant ſigna, & miracula quædam, quæ Judas cum patrabat Apoſtolicæ ſuæ Dignitati fidem faciebat, quæ in Pontificibus non videmus. Igitur

niſi ſigna & prodigia non viderint non credent. Videant quibus ſimiles ſunt, ac erubeſcant. Deinde rudiant, & expendant. Credantne ſe veram habere Fidem, & accipere Spiritum ſanctum? Omnino, nam eâ ſe ſolâ ſalvari dicunt, & non ſalvari, niſi ſint certi eam habere: unde & Fides & Fiducia omne apud eos inſtrumentum Salutis eſt. Imo & Calviniſtæ tanquam dogma Fidei profitentur, ſe omnes & Theodidactos, & Prædeſtinatos eſſe: At Ego probem non eſſe: nam ſi Scripturis credimus, cum Primi illi Fideles Eccleſiæ Primitivæ Fidem & Spiritum Sanctum accipiebant, ſigno ſenſibili & Fides, & Spiritus ijs Sanctus dabatur: atque adeo videbant ſe eo Spiritu frui: ac eo ſæpe argumento Baptizabantur. Si autem illud ſignum neceſſarium eſſet, nemo hodie Hæreticorum Fidem, nec Spiritum Sanctum habet: nec enim illud inter eos miraculum fit, nec ipſi fieri volunt, imo ſi quis fieri dicat, rident, & irridentur. Cur ergo ſigna quærunt, ſi de ſignis quæruntur. Succenſent enim, ſi quis noſtrûm miracula in Eccleſia Catholica noſtra fieri affirmet. Præterea quæro ex ijs, utrum Baptiſmo conferri gratiam putent? Annuunt. Quo ſigno? Nam non deſcendit viſibili ſpecie Spiritus Sanctus, uti vel Columba, vel lingua ignea, vel ſaltem Angeli ſpecie in Piſcinam. Igitur aut negent ſignis opus eſſe, aut deſinant dicere, ubi ſigna non ſint, Gratiam non eſſe.

Quomodo igitur Spiritus Sanctus adeſt Pœnitenti-

fici

fici, cum opus eſt aliquid controverſum definiri? Dicam: ſed Reſpondeant prius: Quomodo Spiritus Sanctus adfuit Apoſtolis in Concilio cum controverſiam de Circunciſionis neceſſitate definierunt? Scimus enim, & credimus Spiritum ibi Sanctum adfuiſſe, aut Apoſtolos eo afflatos dixiſſe: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*; cum tamen nullum aut ſignum, aut miraculum factum legamus: quo Spiritus ille Sancti afflatus comprobetur. Non confero Papam, aut æquo illi Apoſtolorum Concilio: tantùm ſumo quod rei hæret & loco. Non opus eſſe viſibili ſigno ad probandum afflatum Spiritus Sancti. Illetum Apoſtolos illuſtravit, movit, direxit per intimam illuminationem, & inſpirationem. Hac utetur, cum Pontifex aliquid definiendum quod ex uſu Eccleſiæ ſit, ſuſcipiat.

Recogitet Thomas Anglus modum, quo Spiritus Sanctus in nos agit, cum juſtificat. Intellectum luce Divinâ & voluntatem face admotâ excitat: & in utraque potentia intimè operatur, donec eliciat efficaciter liberum cum voluntate deliberata conſenſum. Hæc omnia ſine ſtrepitu (ut ait Auguſtinus) forinſecus inſonante fiunt, & reapſe in nobis partim ſine nobis, partim à nobis, ſed ſemper nobiſcum fiunt, nec opus eſt externo & viſibili ſigno ad hujuſmodi motus Gratiæ, & exinde ſecutam juſtificationem demonſtrandam; quâ nihil eſt in hac vita mirabilius & Divinius. Hac ratione Deus Optimus Maximus cum Romano agit Pontifice, cum aliquid eſt decernendum, qui od

ad

ad Fidem pertineat. Primum ei proponitur Quæſtio. Tum excitatur mens Pontificis juſtis rationibus ad eam ſuſcipiendam, quas et neceſſarias periculum Hæreſis imminens, & utilitas in Eccleſiam manatura, & juſta piorum & doctorum hominum ſupplicatio & cauſæ ipſius gravitas facit. Movetur arcanâ inſpiratione voluntas, tum accedit de re deliberatio: ut aut Concilio utatur, aut Conſtitutione ſolenni. Miſſo Concilio cum nec ſemper haberi debeat, nec poſſit, Conſtitutionem cogitat. Tum Deus dirigit, ut nihil prætermittat eorum quæ ad rectè judicandum, & ritè conſtituendum neceſſaria ſunt: id eſt Examen, & inquiſitio ſedula adhibitis teſtibus idoneis, & in corruptis: Conſultatio ſeria, & gravis Doctorum & ſapientum. Diſputatio, ſi ea opus ſit, acris & exacta auditis hinc inde diverſarum Scholarum & ſenſuum hominibus. Interim preces & vota ſuſcipiuntur, & ſuperi Religioſè invocantur. Demum omnibus diſputâtis, & putatis rationum diſputantium momentis, Cauſam ad ſe Pontifex revocat, eaque accuratiſſimé inſpectâ, & perpenſâ pro Tribunali nomine Chriſti cujus & vices gerit, & perſonam agit, pronuntiat, uti Pontifex, ſententiam, & certum ac infallibile judicium fert: omninò tenendum. Hâc ratione Spiritus Sanctus afflat, & dirigit per intimas inſpirationes providè, & tacitè, ad communem Eccleſiæ doctrinam: quomodo ſingulos homines privatos ad fidem movet. Omnes enim qui credunt, non niſi afflatu Spiritus Sancti

Sancti credunt, nec aliter nisi per inspirationes intimas afflantur: ac nemo dubitat quicunque credunt eosà Spiritu Sancto afflari, & duci. Cur igitur ambiget Thomas & Hetorodoxi Pontificem certo & infallibiliter ad docendam Ecclesiam hoc modo afflari & moveri? nec alio signo aut miraculo opus esse? & *possunt*, ait Thomas, *ista deficere*, & ijs deficientibus Error obrepere, imo & affirmat *sæpe deficere*. Latius ad id ego sequenti quæstione. Nunc interim eis Heterodoxis objicientibus: Quid? si ista desint? Uno verbo respondeo. *Quid si Cœlum ruat?* Ruet vero istud citius, quam verba Christi deficient. Verba Christi sunt. Non deficiet FIDES TUA. *Cœlum igitur & Terra transibunt.* VERBA AUTEM CHRISTI NON TRANSIBUNT.

Modum autem hujus Providentiæ occultæ & tacitæ, sed certæ, & infallibilis illatâ Exempli face illustro. Qui confirmati sunt in Gratia, Donum illud a Deo Confirmationis accipiunt per singularem Dei Providentiam, removentis occasiones peccandi, & augentis illustrationes mentis, & inspirationes voluntatis suavitate quadam mirabili, & arcanâ virtute citra vim motumque ullum sensibilem, eosque illo tenore cursuque Providentiæ Sanctos, & incorruptos ad extremum usque vitæ anhelitum infallibiliter perducit. Sanè in Beatissima Virgine Dei parente admirandæ istius forma Providentiæ eluxit. Ecquis enim eâ Sanctior, integrior, purior, & omni genere virtutum præ-

ſtantior? Nec tamen in ſacris litteris nulla cum rumore & ſtrepitu cernimus Sanctitatis ejus impreſſa veſtigia : cujusmodi Baptiſtæ, & Apoſtolorum deprehendimus, quorum in Orbe virtutis confecto, non ſolum orbitam impreſſam videmus, ſed ſonitum quoque currentis audimus. Cum tamen in Apice illo ac Sanctitatis Maria omnia tacita, arcana omnia, nullo indicio, nullo ſigno foras ſtrepitu prodeunte inveniamus. Quæ ideo excellentior Gratia eſt, quòd eâ ratione myſterio propior ſit, atque adeo colenda & admiranda. Hac ratione Eccleſiæ ſuæ authoritatem Deus in ſummo Pontifice operatur, & tuetur, & illa Confirmatio *Confirma Fratres tuos* in doctrina, ne erret, ſimilis eſt confirmationi in Gratia Apoſtolorum. Utraque certa, et conſtans, utraque infallibilis, Deo ne deficiat, ſuaviter, & intimè providente, nec ad eam vel aſtruendam, vel confirmandam ſigno ſenſibili opus eſt. Quemadmodum nec hodie ad probandam Sacramentorum, putà Baptiſmi, & Confirmationis & ordinis Gratiam & effectum ſigna viſibilia exiguntur. Atque hic eſt modus, quo Deus hanc Prærogativam ſummo Pontifici conceſſit, & quo ille infallibilem habet Authoritatem. Providebit igitur Supremum illud Numen, à quo omnia Sapienter regun-
tur, *cujus providentia in rerum diſpoſitione non fallitur*, ut ne quis error incidat, nequa falſitas obrepat, ne quid quod ad veritatem definiendi conducat, in Pontificis examine, & judicio deſi-

deretur

deretur. Quam qui non vult cum Thoma Anglo & Heterodoxis circa signa, & miracula fateri, neget veram hodie & Catholicam Fidem apud nos esse, quod non sit ea signis & miraculis, qualia in Primitiva erant Ecclesia, confirmata. Nam nec Spiritus Sanctus per speciem apparet, nec generaconcedunt linguarum, nec aliorum tanta est copia prodigiorum, nec tam effusa abundantia Gratiarum. Quæ certè licet in Ecclesia Catholica Romana interdum invehiantur, non ea tamen nos ad confirmationem Fidei exigimus, aut necessaria esse existimamus. Nam illis ea ætas carere non debuit, ut Fidei prædicatio quæ nova & recens erat, majorem sibi authoritatem conciliaret & in animos audientium per admirationis & reverentiæ aditum penetraret. Desinat Thomas signa petere, qui omnia ratione metitur, & Catholicum se profitetur: apud quem Sacrarum litterarum valere debet Authoritas. Desinant Heterodoxi miracula exigere, qui negant ulla esse in Ecclesia vera nostra, quod nulla in sua sint, nec esse possint: cum apud quos non est Ecclesia, nec virtutes fieri queant, quæ à Fide proficiscuntur. Unum miraculum jactare possunt, Genus linguarum, non quod Donum linguarū habeant, sed quod sua quisque linguæ Scripturam faciat, eamque omnes linguæ loquantur: & Puerorum & Puellarum, imo & balbutientium, ut cum Spiritus Sanctus linguas fecerit disertas, illi Spiritum Sanctum infantem faciant; cogaturque in linguis Infantium balbutire.

nego. Et eodem ſenſu confirmationem ab exemplo Petri, omnino nego. Nam Petrus, etſi Eccleſiæ Figuram geſſerit, ita tamen geſſit, ut ſua cum ea Privilegia non confunderet, nec admitteret ea quæ erant propria Capitis: Itaque retinuit in ea Figura diſtinctionem Graduum in Eccleſia: ut diſtincta manerent Caput & Corpus. Aliter non eſſet Petrus Caput & Paſtor Eccleſiæ, ſed Eccleſia ſibi Caput eſſet: & Capite careret. Rem expono. Petrus cùm à Chriſto Caput & Paſtor inſtitutus, non pro ſe tantum fuit inſtitutus, ſed etiam pro reliquis ſibi in Eccleſia ſucceſſuris: atque id erat repræſentare Eccleſiam, & monſtrare, quid in ea futurum erat. Patet ex ſupra à me dictis quæſt. 1. ex Auguſtino. Itaque *Petrus* non amittebat quod ſuum erat, ſed retinendo monſtrabat, id quod habebat in Eccleſia, poſt eum eſſe manſurum: & quod ipſe munus accipiebat, ad ſucceſſores qui in Eccleſia futuri erant tranſiturum, atque adeo ad Eccleſiam pertinere. Alioqui ſi quicquid Petrus accepit amiſiſſet, & in Eccleſiam tranſtuliſſet, etiam Fidem quam habebat perdidiſſet, & dignitatem Capitis, quam per eam meruit, perdidiſſet. Itaque abſurdum eſt dicere cùm Petro dictum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, de tota Eccleſia dictum, cùm abſurdum ſit dicere, *Super hanc Eccleſiam ædificabo Eccleſiam*: non enim eccleſia ſuper Eccleſiam ædificatur.

An cum Chriſtus Petro dixit *Paſce Oves meas*, dixit

dixit toti Eccleſiæ, id eſt, omnibus Fidelibus, atque *oves ovibus* Paſcendas dedit? Cum Petro Claves tradidit, omnibus qui in Eccleſia ſunt tradidit? Non eo ſenſu repræſentabat Eccleſiã Petrus ut quicquid accipiebat ad Eccleſiam ita tranſmitteret, ut in eo non maneret. Niſi forte cum illud Privilegium *Confirmandi Fratres ſuos in Fide* ad Eccleſiam, non ad Petrum pertinuit, quâ ratione neceſſe erat *Eccleſiam Fratres habere.*

Alio ſano & juſto ſenſu Privilegium illud pro Eccleſia Petro conceſſum: nempe ut intuitu Eccleſiæ ad ejus utilitatem regimenque acciperet. Et quidem hic conſtat: nam Petrus ideo Caput inſtitutus, quia id Eccleſiæ corpus exigebat, quæ ſine Capite conſtare non poterat: Ita enim viſibili corpore viſibile Caput conveniebat. Ideo Paſtor electus, ut Gregem Chriſtianum regeret, & paſceret: qui Paſtore indigebat. Ideo Claves accipit, ut aperiret, & ligaret conſcientias ſubditorum, & theſauros indulgentiarum. Itaque Omnia & munia & Privilegia, quæ Petro tanquam Capiti & Paſtori collata ſunt à Chriſto, ad Eccleſiæ adminiſtrationem & utilitatem referuntur.

Nunc quam ineptè Thomas Anglus argumentetur, demonſtro. Ait: in Eccleſia & in Clero Romano, non in Pontifice illam eſſe Authoritatem, quia non tondiſtincte ab ijs data eſt, & cum Eccleſiæ Corpore conjunctum, imo & propter id datur: hoc autem non tollit, quòd ea Poteſtas ſit in ipſo Pontifice, & ab ipſo emanet. Id apparet Exemplo Regum. Nonne hi accipiunt

unt poteſtatem, in Populos, nec ſine Populis poſſunt conſiſtere, & ratione ac intuitu eorum jus & adminiſtrationem exercent, nec tamen ea poteſtas in ſubditis eſt, ſed in Regibus, cum tamen hi ab ipſis Populis ſint creati. Negabit ne *Thomas* penes Reges imperium, & jus eſſe, quia illud non habet *condiſtincte*, ut ait, à ſuis Populis? Sanè non neget etiam ſi Reges à populis cum primum ſunt inſtituti acceperint poteſtatem. Inficiari ergo non poterit *Petrum*, & ſucceſſores Pontifices Privilegium illud Authoritatis habere, etſi non habeant condiſtinctè ab Eccleſia, cum illud immediate à Chriſto acceperint. Sin negemus Thomam, qui magiſter eſt, & diſcipulos habet, Magiſterium non habere in ſe, ſed in diſcipulis ſuis ad quos refertur: nam Magiſtrum & diſcipulos Relata eſſe non neget. Si igitur Magiſterium, cum ad diſcipulos referatur, & à diſcipulis pendeat, manet in Magiſtro; & id Thomas admittat ne Magiſter eſſe deſinat, cur inficietur Privilegium Authoritatis eſſe in Pontifice, quia ad Fideles refertur, & ad Eccleſiam ordinatur, & ab ea pendet eodem ſenſu quo Magiſterium ab ſchola pendere dicitur. Dato quòd argumentatio Thomæ Anglì vera ſit, (quod non datur condiſtinctè Pontifici ab Eccleſia Privilegium, non manere in *Pontifice*, ſed in Eccleſia) non eſt in Capite humano Cerebrum, ſed in Corpore, quia Caput non habet Cerebrum, condiſtinctè à Corpore. Quod quàm ſit ridiculum videat Thomas Anglus, & tam inepta argumentationis pœniteat. Secun-

Secundum opponit. In Concilijs Universalibus, imo & in Clero Romano est Authoritas ad decernendum certior & firmior & securior, quàm in Pontifice: Igitur ea nec necessaria, nec utilis est, atque adeo neganda. Antecedens probat, quia *in Conciliis, inquit, majori diligentia & labore Decreta perficiuntur, quam Papalia subreptioni obnoxia, & minus sunt obvia, & minus frequentia*: & derebus gravioribus agunt. Quæ sño modo Clero Romano applicanda: cum Pontifex homo quidam singularis sit, & magis quàm conventus tot hominum, errori obnoxius. Confirmatur: quia hujusmodi Privilegium concessum Pontifici detrahit dignitati & necessitati Conciliorum: si quid in his statuendum & Papa vendicet, & definiat. Imo experientia monstravit, quod admissâ illi Papalis Authoritatis Sententiâ eviluit Conciliorum præsertim Generalium frequentatio.

Respondeo Argumentum inepte colligere, nam ex eo quod in Concilijs tum Generalibus, tum particularibus Controversiæ Fidei decidantur, non sequitur a Pontifice decidi non posse. Possunt enim pluribus modis res fieri. Quemadmodum quod Respublica administratur ab optimatibus Aristocratice, & à Populatibus Democraticè, non tollit quod à Regibus Monarchicè regi queat. Ac idem omnino iter variis modis, videlicet Curru, Equo, Rheda, Plaustro, Pedibus confici potest. Nec quòd multi sint Magistri Londini, non desinet esse Magister Thomas Anglus: nec quod alii eo me-

lius & ſcribant, & doceant, id circo ille non ſcribit & docet; licet infelicius alijs utrunque præſtet. Poſſunt igitur concilia definire controverſias, & Pontifex etiam definire: illas que duobus modis decidere.

Sed in Argumento ſunt multa examinanda, quæ conjuncta cum aliis à Thoma in his Paragraphis traditis omnino reprobanda ſunt. Supponit enim Thomas Concilia per ſe ſeorſim Sumpta, id eſt ſine authoritate Pontificis Controverſias Fidei definire; imo & eo remoto valere, & nihil ab eo roboris, aut firmitudinis accipere: quod ſuprà impugnatum eſt. Ait enim Thomas. *Poſitâ Congregatione Conciliorum Vigor Papalis Determinationis marceſcit, Concilio enim tribuitur actio non Papæ*, cum conſtet ex ijs quæ ſuprà diximus, Concilium indigere confirmatione Papæ, & ab eo vigorem firmitatemque accipere. Unde apparet error Thomæ nam eo Authore, Concilium non indiget approbatione, nec confirmatione Papæ, quod nemo Catholicus Author probet, eſtque contra communem Patrum, quos citavimus, conſenſum. Nam ſi Concilium à Papa minime dependet, ſequitur poſſe non modo inconſulto, ſed etiam invito Pontifice congregari & congregatum quæcunque velit ſuo juditio definire: nec erit diſtinctio inter Legitimum, & non legitimum Concilium, & reprehendendi erunt Patres, qui decreta, & Canones Conciliorum ad Pontificem mittebant ut ab eo confirmarentur. Præterea ne Concilijs quidem Thomas

etiam

etiam Generalibus Infallibilem authoritatem concedit. Et si enim dicat longius ab errore abesse Concilium, quod expluribus constet, & de gravioribus agat, & difficilius corrumpatur, tamen falli illud posse affirmat, atque adeo humanam ei authoritatem præbet: quod quàm sit a Catholica alienum doctrina, liquidò patet.

Tandem quid absurdius quam majorem authoritatem ad controversias Fidei decidendas Clero Romano Acephalo, & et citra Papæ præsentiam, & assistentiam, quam Pontifici Romano tribuere? quod nemo unquam ausus est dicere. Hac enim ratione quivis Ecclesiasticus Conventus erit vel æqualis vel majoris, quam sit Papa Authoritatis nam in eo militant omnes, quas affert Thomas rationes, cum & sint multi, & difficilius corrumpantur fallanturve. Illud mirum nullam rationem haberi à Thoma Anglo Divinæ in his argumentis providentiæ, ceu sacra minus curet Deus, qui humana tam provide administrat & regit. Momenta duntaxat terrena expendit, & mortales calculos ponit. Nulla mentio Gratiæ, nulla Auxilii, nulla luminis, nulla afflatus supernaturalis: imo hæc omnia removet; ut ratio naturalis in his rebus quæ supra naturam sunt utranque paginam faciat.

Igitur ad argumentum in forma negatur Antecedens: contrà affirmando majorem in Pontifice authoritatem esse, quàm in Clero Romano, & quovis Concilio seorsim sumptis, & à Papa separato

rato. Ad probationem dicendum: Falſum ſuppo-nere; dum ait minus exacte & accurate Papam procedere, ac ejus Decretis in Cauſis Fidei, aut pern egligentiam, aut per corruptelam errorem poſ-ſe obrepere: eumque humano affectu, reſpectuve duci, cum quid ex Cathedra nomine Chriſti definit: uti nos proximâ quæſtione articulo 3. demonſtra-vimus.

Tertiùm urget: Pontifex humano more ſtylo-que ad definiendum procedit, quifalli et deficere poteſt, ac ſolet: cum multi ſæpe examinando, & cenſendo & judicando errores contingant. Igitur determinatio quæ fallibili fundamento nititur certa, & conſtans eſſe non poteſt. Aſſumptum probatur à Thoma Anglo his verbis: *Nulla e-nim poſſunt eſſe adeo expreſſa Bullæ verba, ut fidem faciant Papam vel vidiſſe, vel audiviſſe lectam vel latam legiſſe. Notum eſt enim plerumque ex formæ vi, multa ex miniſtrorum affectu, & ſuggeſtione, non-nulla fraude vel negligentiâ irrepere. Quæcunque verò ſint, eſſe modos quibus Papales aures obſtrentur, ne au-diantur, ne dum corrigantur.*

Ita Thomas Anglus Paragrapho ſuo XVII. paulo poſt principium. Doleo homini, qui & eſſe, & vi-deri Catholicus vult, hæc argumenta excidiſſe: quæ ſoli Hæreticorum projectiſſimi effutiſſent. Hac enim ratione argumentandi quatit totam mo-lem Pontificiæ Authoritatis. Eſt enim hic Ari-es Arte Dæmonum fabricatus, ac ex Erebi Pene-tralibus Tenariis Portis eductus ad Eccleſiam con-

cutiendam

cutiendam, Sed Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam, quanquàm Ecpeum in Blacolo qui admoveat, invenerit.

Reſpondeo. Modum eſſe humanum, nam & Pontifex & nos homines ſumus: etſitamen ille humanus ſit, Providentiam eſſe divinam: à qua humana illa omnia ita diſponuntur, ut Divinitùs gubernentur: ac effectus Divinam Providentiam ſequantur. Unde quemadmodum Philoſophi res ſæpe materiales ratione quadam veſtiunt, quam Formalem dicunt; ſub eaque ſubjectas illas res puriori & altiori modo conſiderant: ita nos morem illum ſtylumque Pontificis, etſi humanum, non debemus nudè, & materiali modo conſiderare, ſed ut ſubeſt Providentiæ ſumere, & ratione iſtâ formali veſtitum expendere. Unde quanquam errores illi poſſint contingere ſpectatâ materiali & nuda connexione rerum, ſi tamen paulo altius oculos levemus, & uti ſub Providentia ordinantis ac diſponentis Dei contineantur, intueamur, nullus ſanè error poteſt obrepere. Omnem enim conſtet ex ſcripturæ quot attulimus locis, & traditione Eccleſiæ Pontificem non poſſe in Controverſiis Fidei componendis & decidendis errare, ad Providentiam Dei ſpectat ſervatâ rerum naturâ ordinem earum ſeriem que diſponere: ne quâ error, aut vitium poſſit obrepere. Ac ut exemplo utar non inepto; quemadmodum inſulæ aureæ ſi diſiunctæ ſunt, & diviſæ, ſparſæ, ac diſſolutæ temere jacent, & facile confundi poſſunt:

cum

cùm autem nectuntur inter ſe, ac copulantur, ita ſibi cohærent, ut Catena exitus exiſtat, quæ nulla vi diſſolui diſſiparique poſſit: haud ſecus illæ conditiones, & circumſtantiæ ſtyli, & moris, ſi re ipſa & nudè ſumantur deficere & confundi queunt, ſi autem virtute Providentiæ apprehendantur, & connectantur, Seriem efficiunt conſtantem & firmam, quæ nullo non modo caſu turbari, ſed ne vi quidem ſummâ labefactari frangique poſſit. Quam in rem commemoranda ſunt ea, quæ articulo ultimo proximæ quæſtionis diximus & aptè opinor Paradigmate Confirmatorum in Gratia corroboravimus: quod nunc rurſum Blacolo fortiter opponimus. Quanam ratione Deus Sanctos, quos in Gratia confirmare vult, inter tot Peccandi illecebras & lenocinia ſervat illibatos, & juſtos removendo occaſiones, minuendo cupiditates, & aliis quos ipſe novit miris, & occultis, ut ait Auguſtinus, modis agens ne labantur, & pereant cum tamen homines ſint, & ex ſe Peccatis obnoxij, hac Deus Pontificem ne erret, dirigit, & à periculis errandi eximit, ac inter ea certum, & conſtantem, cum quid eſt conſtituendum facit Authorem. Perperam itaque Thomas Anglus mentem ſuam ſolis humanis rebus cum de Authoritate Pontificis agebat, addixit, nec cæleſtia cogitavit.

Nam hoc Privilegium divinum eſt non humanum, Dei beneficio datum, & ab ejus Gratia profectum.

profectum. Debuit ille cum ista scribebat vultum Tollere humo, ad Cœlum convertere, & fines rerum naturales transcendere. Ibi causas rationesque reperiret in Divinæ providentiæ Sinubus penitus repostas, quibus effectum hujus authoritatis infallibilis assignaret.

Quæ vero affert ad negandum Infallibile hoc privilegium Thomas, si id evincerent, multa sanè, quæ certa omnino, & indubitata sunt, penitus corruerent. Nam unde constare potest vera Sacramenta a sacerdotibus administrari, cùm multa eorum pendeant a veritate Sacerdotij, quod humano item more confertur, supponitque Baptismum, & collatos Ordines, qui ab intentione Ministrorum dependent. De qua si voluerimus dubitare, nihil certum & constans in Ecclesia reperietur. Imo non modo de Authoritate Pontificis, sed etiam de Personali dignitate ambigi poterit. Ecquis enim probare evidenter queat Papam esse verè Baptizatum, & ordinatum, & Consecratum ? cum hæc a multis Causis humano item more agentibus pendeant ? Nemo tamen hac de re dubium movit, quod sunt quædam de quibus non licet dubitare : etquæ Dei Providentia non permittat. Imo ijs non obstantibus sunt gravissimi Theologi qui singulos singulares que Pontifices veros ac legitimos esse Pontifices ad Fidem pertinere opinantur. Sin ambigamus de Regum, & Magistratuum Jure, & moveamus quæstionem an ex Regio thoro sint nati ? an rite instituti ?

An

An legitimè admiſſi? cum his omnibus ſpectatâ naturâ rerum potuerit error obrepere. Igitur ſi inceptus oriretur is, qui iſta exactius examinans de Regum jure dubitaret, cum prorſus humana ſint inceptior judicetur Thomas qui leviſſimis illis ductus conjecturis Authoritatis Pontificiæ molem Verbo Dei & traditione mixtam dejicere conatus eſt. Debeat mihi earum confutationem: nam niſi confutaſſem locum dubitandi feciſſet ei qui acciperet, & ad illum converteret, Utrum Thomas Anglus, Chriſtianus eſſet? quòd de eius Baptiſmo conſtare non poſſit: nam multi in eum potuerunt defectus vitia quæ obrepere. Uerum hæc omitto, cum hæc quæſtio etſi ad ejus ſalutem multum, ad Chriſtianam certe Rempublicam parum videatur intereſſe. Id tamen non mediocriter conduceret, ſi ille à ſcribendo deinceps abſtineret.

ARTICULUS.

ARTICULUS II.

Alia tria ejuſdem Authoris objecta diluuntur.

QUartùm obijcitur á Thoma Anglo Paragr. illo XVII. Sic. *Hujuſmodi Privilegium nullum fundamentum habet, vel in Sacris Scripturis vel in Sanctis Patribus, Cum enim conſuetudo antiquiorum Pontificum fuerit decreta ad alias partes tranſvehenda (maxime ſi de rebus Fidei tractarent) non niſi in Concilijs, vel in Conſeſſu Cleri Romani ſtatuere: ſed & ipſe Clerus in abſentia Romani Paſtoris, vel interregno reſponſa reddere non diſtulerit: nihil quod vel in Divinis libris vel illuſtribus Patribus reperitur neceſſariò vel de more Eccleſiaſtico poteſt intelligi de perſona Pontificis ſecreta à ſuo Clero, ſed ut ipſo, & per ipſum definiente.*

Pars prima hujus Argumenti omnino falſa eſt: dum negat hujuſmodi Prærogativam Scripturâ & Patribus niti. Id enim à nobis abundè, opinor, probatum: tanto nitore locorum, tantâ luce ſententiarum, ut Solem è mundo me judice tollat,

qui neget. Altera pars examinanda eſt. Ait *Decreta Pontificum in Cauſis Fidei ad alias partes tranſvehenda in Conciliis, vel Clero Romano ſtatui.* Hoc imprimis obſcurum eſt. Nam de quibus decretis loquatur non conſtat. Vel enim erant quæ motu proprio condebat Pontifex mittebatque: vel erant reſponſa, quæ dabat ſuper Controverſiis ad ſe miſſis abijs, qui alibi Concilia celebrabant. Primi generis vix reperiantur ulla, nam fere ſemper Pontifices invitati, & conſulti reſpondebant. Alterius generis quædam erant facta Romæ, aut coram Papa, & inde ad alios, qui non moverant controverſias mittebantur, quæ erant abſentis reſponſa ad controverſias aliorum. Et quidem quæ in Concilijs coram habitis fiebant, conſtat ea in Concilio ſtatuta: Quæ autem Reſponſa ad alia Concilia continebant, etſi exijs nonnulla in Conuentu Romæ agitata ſint, de pleriſque non conſtat in eo conventu facta: & quanquam conſtaret, nil inde contra Papæ authoritatem colligitur. Nam etſi Pontifex Clerum congregaret, ac in ea congregatione proponeret controverſiam, & ab eo audiret ſententias, & ſecundum eas decerneret, adhuc tamen integram authoritatem ſervabat: nam uti Caput & Paſtor definiebat authoritate propriâ, & à Chriſto communicatâ: & omnes alii ab ejus ore *intenti ora* ſuſpenſa tenebant: ac Decretum illud ad decidendam controverſiam expectabant. Niſi fortè Rex cum ad magnum aliquid conſultandum Conſiliarios vocat

cat, & iijs auditis quod è Republica eſt decernit, ſubijcit ſe Conſiliariorum judicio, & amittit Regiam authoritatem.

Quod autem vult Thomas Anglus, ut omnino pendeat veritas Decreti a Clero Romano, eique tribuatur, falſum id eſt ac ineptum. Nam non tenetur Pontifex totum Congregare Clerum, Sed ex ijs quos velit poteſt eligere imo, & nullo admiſſo alios viros doctos advocare, nam omnium Paſtor eſt, & cum ijs de controverſia agere. Nec illa propriè dependentia eſt, quæ deroget authoritati: ſed neceſſitas quædam rationabilis judicis humano more procedens, qui omnia per ſe exequi non poteſt, nec debet: idque ad Providentiam item ſpectat, ut hâc viâ examinentur Cauſæ, & certum de iis judicium feratur. Hinc autem non deducitur potiores eſſe Cleri, aut Concilii partes: nam quòd quis inſtrumentis ad rem conficiendam indigeat: non idcirco non eſt rei confectæ author. Sin dicat Thomas Anglus: Secretarios quoque Pontificis in Definitionis partem venire, quia illorum operâ Pontifex utitur; eâque indiget ad ſcribendum & promulgandum. Non eo hæc dico, quòd Secretarios Conſiliarijs æquare velim, ſed ut eorum adhibito neceſſitatis exemplo appereat, quàm inepté ex neceſſitate Thomas ad authoritatem argumentetur. Quemadmodum igitur Conſultatio gravis in re Politica, etiam ſi ſine Secretarijs perfici nequeat, Conſiliariorum eſt tamen, ijſque tribuitur, & Decretum ſecundum id quod in Con-

cilio ſtatutum eſt, ad regem pertinet, & refertus, ita in re Eccleſiaſtica, quanquam Pontifex alios adhibeat, & roget, & conſulat ; quod iis auditis ſolemni more, ac ex Cathedra definiat, non alium, quam Pontificem Authorem habet.

Ista vero aſſumptum à Thoma Anglo, nimirum quòd Romanus Clerus & Eccleſia ipſa Romana ſit definitionis Author, non Papa, probari certe non poteſt: cum conſtet Clerum ipſum & Eccleſium, cum quid definiendum eſt ad Papam, tanquam ad Caput recurrere: & ab eo Decretum expectare. Et quoniam ad Patres & Conſuetudinem provocat, prope eſt quo refutetur. Nam ſuperioribus quæſtionibus cum Patrum & Conciliorum exempla attulimus, manifeſtè probavimus eos ad ipſum Pontificem Romanum litteras dediſſe, non ad Clerum Romanum; neque hunc, ſed Perſonam Papæ conſuluiſſe. Ac licet interdum Sedis & Eccleſiæ Romanæ meminerint, ita tamen illius mentionem faciebant, ut ſane Capitis rationem præcipuam haberent, adeo ut in corpore Caput appellarent. Et ut certum aliquid legendum proponam, recognoſcat quæ dixi art. 3. q. 2. ac manifeſta hujuſce rei exempla inveniet. Quintùm ſic arguit. *Hoc privilegio, inquit, violantur leges naturæ & Gratiæ. Naturæ quoniam & Philoſophia & inductio & experientia firmat omnem particularem hominem errori & falſitati & peccato ſubjectum eſſe. Gratia quoque docet naturam humanam eſſe, & deceptioni, & peccato obnoxiam, et neque ab uno neque abeltera, niſi actus falli-*

fallibiliter in particulari enuntiat. Absurdè semper ratiocinatur Thomas, & hic perquam absurdè. Primùm enim legem naturæ vocat, quæ proprie est *Lex peccati.* Nam subjectum esse hominem falsitati, & peccato, *non est* ut ait Augustinus, *naturâ instituti hominis, sed pœnâ damnati.* Itaque etsi *naturâ sumus Filii iræ*, tamen id vitij, non naturæ effectus est: *lex ea peccati est* Authore Paulo. Post Peccatum subijciens naturam. Deinde id non docet Philosophia, nec ratio naturalis, sed Fides. Imo Philosophi, & qui ductum rationis sequebantur, aut ignorabant Peccatum Originale uti erant Sapientes Ethnici, aut illud negabant, uti Pelagiani & Cœlestiani, unde utrique naturales virtutes inducebant, & naturam per se ad honestè operandum valentem ponebant: contra quos in Juliani persona libro adversus eum 4. c. 3. Augustinus argumentatur. Deinde absurdum item est dicere: legem Gratiæ docere, naturam humanam esse obnoxiam Peccato: cum hoc lex Peccati nos doceat, non præcisè Gratia, quæ supponit quidem legem illam, & necessitatem ex ea Gratiæ. Imo contrà Gratia docet liberari hominem ab errore & Peccato per Gratiam Christi. Hæc enim & docemur & sanamur, & justificamur. Præposterè igitur loquitur Thomas oppositum Gratiæ tribuendo. Hæc enim docet quomodo nos à Peccato & errore liberemur. Quod si Gratiæ tribuit cognitionem erroris & Peccati, nam hoc ad Fidem pertinet, non negarim sustineri posse, sed minus ille tamen

hunc

hunc sensum expressit, & ille minus hæret Paulo aienti: *Per legem cognitio Peccati.* Quæ lex scripta erat Moysi, non Gratiæ.

Pergit colligere Thomas Anglus. *Hi vero Theologi volunt Papam regulâ generali in certis articulis esse ab errore exemptos.* Et hoc absurdum est: nam qui aliquem in certis tantùm casibus ab errore eximunt, non faciunt contra Regulam generalem: nec enim hæc docet ut homo in omnibus prorsus erret: nec jubet aut dictat semper homines errare: sed erroribus esse obnoxios: atque adeo & interdum errare: quod satis est ad regulam generalem. Ille confudit Regulam generalem cum errore Generali, & putavit perinde esse teneri regulâ generali, & generaliter in omnibus errare: cum aliud sit Regula generalis, ut nemo sit, qui exemptus sit ab errore, aliud ut omnis qui non est exemptus ab hac regula, generaliter & in omnibus erret. Sanè David cum dixit, *Omnis homo mendax.* Generalem regulam proposuit, quæ personas omnes teneret, sed non dixit Omnem semper mendacem. Unde Jacobus c. 3. Epistolæ suæ Canonicæ, perinde ac illud Davidis dictum exponeret *In multis inquit offendimus omnes.* Non *in omnibus* nec enim Generalis regula comprehendit omnes actus hominum, sed omnes homines. Hinc apparet nihil efficere arguendo Anglum: Theologos liberantes Papam in certis articulis ab errore contra hanc regulam facere: nam hi Theologi non dicunt nunquam errare, aut nunquam peccare,

re: nam homo est qui utrumque potest, & interdum aget; sed Papam in certis casibus, nimirum cum definit controversias Fidei, non errare: idque ex Privilegio Gratiæ à Deo illi, uti Pontifex est, concesso. Nec multum damus Pontifici, nam & Anglo id etiam damus, ut interdum non erret, nec peccet, cum Pontifex non sit, nec opinor futurus sit. Imo id damus velit nolit, si futurus sit Pontifex, in eo quod ex cathedra definiat, minimè erraturum.

Quod autem addit *Exemptionem ab Errore difficiliorem esse exemptione à peccato* Expositione & castigatione indiget: nam si loquatur de errore proprio, hoc est judicio falso intellectûs, quo quis tenetur cum peccat, & quo sensu dixit Aristoteles *Omnis peccans est ignorans*; pari passu error & peccatum procedit: sin autem loquatur de errore proprio, hoc est judicio falso intellectûs, circa veritatem doctrinæ, falsum omnino est quod ait. *Difficilius eximi homines ab errore, quàm à peccato*: cum sæpè videamus multos qui Sapientissimi sunt & optimam doctrinam tradunt, magnos Peccatores esse: quin & cum incorrupta Fide pravi mores plerumque consistunt.

Sanè Pharisæi bene docebant, & male vivebant. Facilius errores intellectus, quàm vitia voluntatis vitantur, citius multo scientiæ discuntur quam virtutes comparantur. Dicunt ergo Theologi cum quibus ego sentio: Papam & hominem & Peccatorem esse.

esse: ac uti hominem, errare interdum, & sæpe peccare non dubitamus: nam qui homo est nihil ab eo humani alienum putamus. Sed dicimus tamen Eum in certis eventibus videlicet cum Causas Fidei tractat, & judicat pro munere suo eas que tanquam Pontifex decidit ex Cathedra nec errare, nec errare posse, idque ex Privilegio à Christo concesso: quod exemplo Confirmatorum in Gratia hominum suademus, eaque ratione quaistos peccato etiam privatos, illos non uti privatos, sed uti Pontifices, ab errore liberos esse affirmamus. Unum inter alia à Blacolo dicta ferre non possum. *Hoc Privilegium esse contra leges Gratiæ*: cum illud singulari Gratia & Beneficio Dei illud accipiat Pontifex. An erit contra Leges Gratiæ, quod ipsum Gratia est? Sed Blacolus ineptè leges in Gratia novit, eamque legibus addixit: cum Gratia (quod liberum sit Dei, & gratuitum donum) à legum vinculis liberetur. Quin imo si alligetur vinculis Gratia esse desinet.

Sextùm argumentum format ex Erroribus Pontificum: quos errasse contendit: nec excusationes admittit; sed omne effugium præcludit, atque adeo eos inter se discrepare ac alios aliis discrepando, contradixisse affirmat. Et eandem statuit *Personam Papæ Hæresim promulgare posse*. Hac ratione argumentantur Heterodoxi, ex quo novitates hæreticas in Ecclesiam invexerunt. Uti apparet ex disceptationibus cum iis Cajetani, Turrecrematæ Perronij, Bellarmini, Rossensis, Cani, Valentiæ

Valentiæ, Maldonati, Caſtillii, Salazarii, Ægydij, Becani, Suarij, Celotij, Davenportij, apud quos eadem momenta argumentorum ponuntur, & aut integrè aut ex parte confutantur. Quatuor affero qui exactiſſime Errores eos, qui Pontificibus aſſignantur enumerant, & excuſant, Oſium contra Brentium. Bellarminum lib. 4. de Summo Pontifice. Albertum Pighium lib. 4. Eccleſiaſt. Hier. c. 8. & Canum de locis. lib. 6. adeo, ut Becanus, & Suarez Heterodoxis eos ſibi opponentibus ex inſtituto reſpondere voluerint, quòd abunde ab iis authoribus eſſet ſatisfactum. Et vero quoniam Thomas Anglus obiter tantum, & quaſi Canis è Nilo Errantes Pontifices commemorat, volo eum ſuis inſequi veſtigijs, & uno objecto Suario ceu toto Nilo obruere : quod ab eo dictum eſt, à me ſibi Thomas reſponſum putet. Nam eam prius apud me reſponſionem formaveram. Igitur Suarius tomo Defenſionis contra Regem Angliæ. lib. 1. c 6. n. 14. Sic, *Maximè obijcere ſolent Hæretici lapſus quoſdam & errata aliquorum Pontificum Romanorum vel in Perſonis eorum, vel in doctrina.* Hocagit in ſuo Parag. 17. Thomas Anglus, Reſpondet objectioni Suarius. *Recepta diſtinctio præ oculis habenda eſt de Pontifice vel credente, ut eſt privata perſona, vel docente, ut Pontifex eſt. Ad illum enim poſteriore modo ſpectatum dicimus pertinere Chriſti promiſſionem: nam hoc modo eſt Petra, à cujus firmitate pendet in ſuo genere firmitas Eccleſiæ. Hoc autem modo nullum veſtigium hæreſis oſten-*

dunt Heretici in tota Summorum Pontificum ſucceſſione. Et poſtea. *Gratiâ vitandi controverſiam facile damus non eſſe neceſſarium promiſsionem Chriſti ad perſonam Pontificis, ut eſt unus ex privatis credentibus extendere.* Pergit n. 16. *De erroribus qui Pontificibus tribuuntur, breviter dicimus, aliud eſſe loqui de Decretis Pontificum, quatenus per ea aliquid definiunt, vel approbant tanquam credendum, vel obſervandum ab univerſa Eccleſia: aliud de privatis ſententis opinionibus aut rationibus Pontificum. In præſenti enim de prioribus Decretis tractamus, & in eis nullum falſum dogma invenitur, quod per modum definitionis ab ijs traditum ſit, & Eccleſiæ ad credendum propoſitum, ut facile intelliget quicunque legerit ea quæ Authores allegati* (id eſt, Bellarminus & Oſius) *& Canus lib. 6. de locis c. 5. & 8. latius proſequuntur. In privatis autem ſententijs & opinionibus, vel etiam in rationibus quibus interdum utuntur, ſicut non oportet eſſe Fidei certitudinem; ita neque infallibilem veritatem.* Hæc Suarius: cui ſubſcribo. Ut autem conſtet quando Pontifex loquatur ex Cathedra: Ejuſque Decreta vim illam irrefragabilis authoritatis obtineant, certam rationem judicandi & formulam decernendi & ſolennitatem promulgandi excogitarunt Pontifices, nequis definitionum pondus aut ignoraret, aut cognitum eluderet. Ecquis autem hic modus ſit ſuperiori tractatu ad ſectionem 9. Flatu 9. indicavimus ex Vaſquio: cujus locum, qui nitidus, & illuſtris eſt, afferre volo, & duos hos Principes noſtræ ætatis Theologos meæ ſententiæ Patronos adhibere.

Vaſquius

Vaſquius ergo tomo 2. in 1. 2. D. Thomæ. diſp. 155. c. 2. n. 15. *Obſervant Pontifices Summi in Curia Romana, ut nondum intelligantur loqui de Sede Petri tanquam Judices & Pontifices in legibus & Canonibus ferendis, etiamſi eos imprimi faciant, donec ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe Cancellariæ Apoſtolicæ & in acie Campi Floræ ſolenniter publicentur, & exemplar unum legis in Columna illius campi, & aliud ad valvas Petri per aliquantulum temporis affigatur.* Quod autem hoc modo prolatæ ac propoſitæ Bullæ infallibilem authoritatem habeant, ibidem fatetur Vaſquez expendens Conſtitutiones Pij v. & Gregorii XIII. contra Propoſitiones Michaelis Baij.

Quod attinet quæſtionem, An Papa poſſit Hæreſim incurrere, et ob eam deponi? non eſt meum hoc loco ventilare. De ea conſulendi Authores Proxime citati. Illud maneat utcunque res ſe habeat, non poſſe Pontificem ſolenni more ac ex Cathedra docere Hæreſim, nec eam promulgare, quod auſus eſt Thomas Anglus dicere. Qui error (nam mihi conſtat eſſe Errorem) cujuſmodi ſit, & qua Cenſura afficiendus, ſuo proxime loco docebimus. Nunc enim id tantum agimus, ut objecta Thomæ Angli nullius momenti eſſe monſtremus.

ARTICULUS III.

Proponitur Invectiva Thomæ Anglí adverſus ſententiam de Authoritate Pontificis à nobis traditam, eaque expenditur.

ACriter ac vehementer inſectantur Heterodoxi propoſitam & expoſitam hactenus doctrinam. Solent enim, uti animi impotentes, & linguæ intemperantes, adverſus hanc ſententiam laxare frenos petulantiæ, & omne maledictorum genus effundere: & quod ratione convincere nequeunt convitijs volunt obruere. Doleo ſanè, doleo, quòd vir Catholicus Thomas Anglus eorum inſiſtens veſtigia, eadem uti maluerit linguæ procacitate, quam re ſeriò expenſâ judicium Fidei accommodare ſuum, & rectè calculum ponere: vel ſaltem modeſtiè à Catholica (ſic de illa judico) ſententia diſcrepare. Verum enim vero tam longe abeſt à vero, ut non contentus errare veram

pu-

puramque doctrinam diris devoveat, & petulanti linguâ proscindat: adeo ut vix Heterodoxum invenias, qui vehementius in illam & procacius invehatur. Miror sanè hominem minimè disertum, in dicendo jejunum, præter morem repentè exuberasse, & exaggeratione verborum ad audaces hyperboles excurrisse. Et quanquam Eloquens ob aridum, & implexum stylum esse non possit, id tamen maledicendo assecutus, ut loquentiæ plurimum habuisse videretur. Legat qui volet Paragraphum 22. à medio ad finem, & mirabitur intemperantem hominis orationem.

Igitur sententiam, quæ tribuit Concilio, vel Papæ irrefragabilem et infallibilem ex Afflatu Assistentis Spiritûs Sancti Authoritatem, quæ maximè Catholica est, ut hactenus demonstravimus, detestatur, tanquam hæreticam, & *Archihæreticam*, & omni atrocissimo crimine perniciosiorem. Rationem autem affert, quod *Clarum*, inquit, *est, eo ipso Theologum eam docentem subjicere totam Ecclesiam cuilibet errori pro Fide suscipiendo, quem Concilium, vel Papa modo illegitimo proposuerit.* Ubi supponit Concilium & Papam errare definiendo posse. Idque execratur, cum amplecti deberet. Execrationes patent. Sed aliquas produco. *Quodcunque aliud crimen vel scelus longè minus & inferius est propagatione talis doctrinæ.* Cujusmodi autem scelera sint horreo commemorare, sed ille non horruit dicere. *Dico Incendia templorum violationem sacrarum virginum,*

super

ſuper aras, conculcationem venerandi Corporis Chriſti, tandem immiſſionem Turcæ, vel Anti-Chriſti in regiones Chriſtianas. Deum Immortalem! quid audio? quis loquitur? Certè exiſtimo, ne Turcam quidem tam malè, Antichriſtum pejus loqui non potuiſſe. Væ itaque Oſio, Bellarmino, Pighio, Roffenſi, Cano, Becano, Suario, Vaſquio, Maldonato, Cæteriſque Catholicis authoribus, piis, opinor, & Sanctis viris, qui ſe tanto ſcelere conſpurcarunt. Væ miſero mihi qui cum iis ſentio ac ejuſdem criminis ſocietate polluor. Parce precor Thoma,

Parce pios maculare viros, non hoc tibi Roma

Eſſe impune feret: minus eſt quod perfidus audet Hæreticus.

Nec ullus ex iis unquam tam atrox in eam, quam maxime oderunt ſententiam, maledictum conjecit? Nec auſus eſt ſimile quicquam *nec potuit. Cælum hoc & conſcia ſydera teſtor. Cerberus ille latratu qui Regna horrenda trifauci Perſonat, hæc*, ſi loqui poſſet, haud eructaret. Hoc tu Thoma non in ſtudijs ſed à Furijs didiciſti. Turbo hic verborum an Typho à Tænaro ejectus gravem Mephytim exhalat. Progreditur Thomas Anglus: *Propagatio talis doctrinæ ex natura ſua ex ipſo animo evellit ipſi Eccleſiæ Univerſali fundamenta omnia ſalutis.* Imo Eccleſia ſupra hanc petram fundata firma conſiſtit: quam Chriſtus pro-

pro fundamento jecit. Thomas Anglus conatur convellere: & ad partes Inferorum concutiendo tranſire: ſed non prævalebit. Ineptiſſimè agit dum vult doctrinam, quæ Eccleſiæ Antidotum eſt *veneno* comparare: Araneo deterior eſt, qui non ex Flore ſolum, ſed ex Antidoto virus elicit. Ergo Chriſtus hanc propinans Sponſæ ſuæ Eccleſiæ doctrinam *P*oculum dedit veneno diluto mortiferum, & Maſſaniſſæ ac Sophoniſbæ Paradigma Tragicum repræſentavit. Apagè cum iſto Potirio, vel Delirio. Ex hac Ferali & pluſquam Thyeſtæâ menſa ad Cathedram *P*eſtilentiæ Thomas gradum facit, & teterrimum fætorem inhalat, dum pronuntiat ad finem Paragraphi 22. *Opinionem* hanc *Infallibilis authoritatis Pontificiæ non poſſe non eſſe Hæreticam, vel potius Archihæreticam: & ex natura rei matrem & matricem infimitorum, & Spurciſſimorum errorum: & ex Theologorum Scriptis ferro & igni exterminandam, non argumentis revincendam, quia nullum habet, nec habere poteſt fundamentum.*

Ubi ſumus? ubi conſiſtimus? in Scythia ne, an in Hyrcania? Puto in monte ipſo Chimaræ nos verſari, & meram Chimæram audire. Ecquis unquam *P*aradoxon aliquod incredibile tam atrociter taxavit? Itane de ſententia Catholica Thomas cenſet? quæ etſi minus vera eſſet, mitius accipienda propter Pietatem eſſet, & quod Romanæ Authoritati favet, tuenda. Cur ea hæretica erit, quam maximè Hæretici deteſtantur, & Catholici amplc-

amplectuntur ? Cur Archihæretica, quæ præcipuum Hæreſeon Caput jugulat ? Cur Mater errorum, quæ Matri Eccleſiæ Romanæ honorem defert ? Cur Matrix Spurciſſima, quæ integram Papæ & illibatam authoritatem aſſerit, nec contaminari ſinit, vel levi ſuſpicione erroris ? Cur tanquam Hydra ferro & igni excindenda, quæ Caput Eccleſiæ tuetur, & protegit & Clavâ veritatis emergentia ex Hydra Hæretica Capva contundit ? & igniit Charitatis exurit ? Certè nemo Catholicorum oppoſitam ſententiam, tam eſt acriter, & vehementer infectatus, imo ne Hæreticorum quidem noſtram hanc Catholicam ac ſibi inviſam tantâ vi & petulantiâ execratus eſt. Obſervo enim Hæreticos plerunque cum Pontificis *Romani poteſtatem*, & authoritatem *impugnant*, non tam iracundè, & contumelioſè eam exagitare, quam lepidè & facetè irridere: acuti ſanè homines, & vafri, qui ne videantur odio & rabie duci, ac eo ſe nomine ſuſpectos reddere, animum ad tranquillitatem componunt, & ridentium ſpeciem præbent; ac eo fuco legentibus imponunt. Deinde quòd eloquentiam profitentur, & Rhetorices præcepta callent, petulantiam caſtigant, & procacitati moderantur, ne intemperanti oratione aures obtundant, animoſque offendant. Infelix Blacolus, qui ne acutè quidem errare novit, & errori inertiam addidit: ac in errando modum non tenuit, & cum utranque Laudem Dialectici & Rhetorici hominis affectet, nec Dialecticum acumen, nec Rhetoricum lumen

aſſecutus

assecutus est: Itaque & rudis in disputando, & indisertus in dicendo apparuit. Solâ armatus iracundia processit in aciem, & vires prodigiosâ jactatione effundens vanis ictibus aera verberavit.

Juvat hic, Causas inquirere hujusce, qua Thomas Anglus utitur, iracundiæ, rabieique incredibilis. Non soleo temere de quoquam ac male suspicari, nec in alienos mores nedum cogitationes inquirere, nil quippe est ab ingenio meo alienius, adeo ut nulla mihi minus probetur Numinum Fabula, quàm Momi omnia curiosè scrutantis, & anxiè inquirentis, & acerbè reprehendentis. Sed non possum tamen, nec debeo, cujus manifesta jucia extant, ea præterire, & eorum causas rationesque cum ad rem faciunt contemnere. Quare cùm videam Thomam Anglum tantâ vi oppugnare Authoritatem Pontificis, tam eam impatienter ferre, & tot impatientiæ sua signa proferre: & magni, opinor, referat ad causam fontes hujusce iracundiæ, imo & furoris tenere, nolo aut obtusus non inspiciendo, aut negligens prætereundo videri: cum præsertim haud dubia extent illius intemperantiæ in hisce Paragraphis scripta vestigia. Igitur Thomas Anglus cùm sit ingenio projecto & opinioso temereque multa & affirmet, et neget, quæ ut molliter dicam) præter communem Ecclesiæ sensum sunt: & suspicionis plena, ac errori proxima, quorum nonnulla in lucem didit, alia edenda sunt timens sibe à Censura Summi Pontificis, quam multi viri pii & graves illi quotidie minantur, vult

authoritatem à qua metuit, oppugnare, ne quis cùm ab ea damnatos errores videat suos, existimet justè potuisse damnari: atque audo nemo ab ejusdoctrinâ abstineat. Quod inde deduco, quod Paragrapho 22. ait. *Ponat itaque manum suam super cor suum* quisquis *sententiam Romæ datam, non contentus usque ad obedientiam premere, Fidei subjectionem flagitat: & severissimam indigniſſimamque servitutem Ecclesiæ totius cervicibus imponere audet.* Hinc illæ lacrymæ quas renovat reliquâ parte libelli differens de ratione modoque Censendi: & in appendice adversus Censuram meam compositâ, in qua mecum expostulat, quod Constitutionem Sanctissimi Patris Nostri Innocentij condemnantem quinque propositiones Jansenij defenderim & coluerim: quas ille tamen adversus Decretum justum & solenne protervè tuetur, neglectâ Pontificiâ authoritate: quemadmodum proximo tractatu ostendi. Unde cum duobus modis Errores condemnentur, & Concilii Canone, & Pontificis Decreto, utriusque virtutem infirmat, negans infallibilitatem Conciliorum & Pontificum: imo & sententiam affirmantem, non modo hæresim vocat, sed omni hæresi perniciosiorem dicit, ut ab eâ imperitorum vulgus deterreat.

Qua in re illud vehementer doleo: eò impotentiâ animi esse provectum, ut quod teterrimum & indignissimum de summo Pontifice Cathedram Christi infidenae audacissimi Hæretici pronuntiarunt. *Evehi illum supra omne quod dicitur Deus:*

quo

quo ei Antichristi personam imposuerunt : id ille ad Concilii, & *Papæ* authoritatem impugnandam impiè converterit. Ait enim eodem *Paragrapho*, ante ponens omnibus Hæresibus hujusmodi irrefragabilis virtutem authoritatis attributam Conciliis & Pontificibus, perinde ac multò deterior esset: *Sed et comparo*, inquit, *regulæ Fidei Corruptionem per hæreticos, & hanc quæ per Concilij vel Papa evectionem supra omne quod dicitur Deus, Ecclesiæ accidit, et video comparationem esse qualis ulceris in cutem, ad aliud in ipsa viscera erumpens.* Ecce authoritatem Definiendi controversias Fidei quâ utuntur Concilia & Papæ dicit *Evectionem supra omne quod dicitur Deus*: quæ Antichristo à Christo tribuitur & Hæretici impudentissimi Papæ attribuunt. Thomas autem Anglus ad Concilia quoque extendit. Huc perduxit illa formido Censuræ, quæex superbia & impotentia nascitur Thomam, Anglum, quò sola Hæretica (cùm maxime projecta) processit audacia.

Nullum sanè pernicioſius hæreseos genus est, quàm quod Authoritatem Capitis Ecclesiæ & Concilii negat. Nam etsi aliæ sint ob materiem graviores, Puta, Arij, Macedonij, Eutychetis, Dioscori, Pelagii, Berengarij qui præcipua Fidei mysteria oppugnarunt; facilius tamen corrigi poterant, quod locum superiori Authoritati relinquebant; cui cum se obnoxios efficerent, minus erat periculi in errore perseverandi, & alios corrumpendi. At quæ

ſuperiorem in Eccleſia poteſtatem negat, etſi minus graviter, certe periculoſius errat, cum omnino ſpem & viam præcidat correctionis. Unde impunè graſſabitur, ac liberius ſe latiusque effundet: nec poterit à quopiam coerceri.

Hæc mens furialis Lutheri fuit, qui cum eſſet vaniſſimus, ſeque in prærogativa evulgandi in publicis concionibus indulgentias præteritum vidiſſet, injuriæ impotens in eaſdem debacchari cæpit, & Pontificiæ poteſtati detrahere. Cumque alios nefarios errores agitaret animo, et timeret, ne à Pontifice & Romana Eccleſia coerceretur, decrevit ejus authoritatem poteſtatemque penitus convellere.

Hac arte cuncta profana & ſacra miſcere ſe poſſe putavit, ac res uti cogitavit, ità proceſſit: nam eo timore quaſi freno abjecto in omne errorum & vitiorum genus præceps iit. Quam ſecuti alii Novatores, ſine formidine, ſine pudore, ſine lege in Chriſtianam ſunt Rempub. debacchati. Tantum profecerunt audaciâ, ut cum à temporibus Apoſtolorum ad Auguſtinum (quadringentorum paulo plus annorum ſpatium eſt) hæreſes nonaginta eo ipſo teſte, numerentur, & ab eo ad Lutherum centum octoginta vna, authore Sandero, recenſeantur, à Luthero qui Anno 1517. defecit ab Eccleſia, ad Annum 1595. ducenta commemorentur, quæ ad hunc præſentem quo ſcribo 1654. annum adeo creverunt, ut vix iniri numerus

earum

earum poſſit. Venit hîc mihi in mentem loci Epiphanij qui rem continet expreſſam, quem volo adducere, ut in eo lector videat hæreſeos noſtrorum temporum ſpirantem imaginem. *Monſtruoſè Poetæ conſinxerunt Centimanum Briareum quem etiam Ægeonem, aut Gygem, aut Argum illum multis oculis præditum vocarunt: ſic omnes hujus temporis hæretici, in corpus centum capita habens ſe ipſos effermarunt: & quilibet horum cupiens ſibi ipſi Principatum conſtituere, caput nominavit ſe ipſum: aliam introducens præter præceptorum ſuorum vanum Laborem furioſam doctrinam.*

Omnia præter numerum quadrant in Gyge: nam hic Cœlum aggreſſus, Superis quod hæreſis facit, bellum intulit, ſed ille brachia centum duntaxat expediebat, cum

Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.

At Hæreſis immanior Gigas trecenta exerit Capita Lærneo fœtu numero major, feritate par; Argus etſi feritatem minuit numerum æquat: ſed hic innocuis oculis vigil, illa nocentibus faſcinatrix: nam quos Mater Eccleſia Paſcit,

——Teneros oculis hæc faſcinat Agnos.

Nec eſt Mercurius qui occidat, aut Ulyſſes qui lumina effodiat. Illud in rem natum. *Quilibet cupiens ſibi principatum conſtituere, Caput nominavit ſe*

ipſum

ipſum. Nam ideo à capite diſciverunt, ut capita eſſe poſſent, audaci ſtudio, eventu monſtroſo, ſucceſſu infelici: tot enim Portenta quod capita, etſi verius Crania cerebro vacuata. His ſimilis eſſe maluit Thomas Anglus Cacangelicis hominibus, quam Thomæ Angelico Doctori, quo nemo Religioſior Pontificiæ Dignitatis cultor: poteſtatis aſſertor: Authoritatis vindex; uti conſtat ex iis quæ docet 2.2. q.10.a.12.& opusc. 1.& quodl. 9.a.16. ubi ſic apte Angelus ad Anglum. *Magis eſt ſtandum ſententiæ Papæ quam in judicio profert, quam quorumcunque Sapientium hominum in ſcripturis opinioni; cum Caiphas quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legitur etiam impius prophetaſſe.* Diſcat hinc Anglus non ſolum Authoritatem Pontificis fateri, quod ſententia docet, ſed etiam de Aſſiſtentia ſpiritus ſancti in Cathedra afflantis, quod ſuadet exemplum minimè dubitare.

QUÆST.

QUÆST. V.

Cenſoria.

ARTICULUS I.

An & quis ſit error negare hanc Prærogativam authoritatis, & quî circa eam Thomas Anglus errarit?

GRaviter & verè D. Thomas opus. 1, circa finem. *Subeſſe* inquit, *Pontifici eſt de neceſſitate Salutis.* Id que ex tota ratiocinatione primæ & ſecundæ quæſtionis noſtra manifeſtè apparet. Sed cum duplex ſit ſubjectionis genus, & ratione poteſtatis, & Authoritatis, ac de prima conſtet inter Catholicos, de ſecunda quærendum. Utrum neceſſe ſit in controverſijs, & cauſis Fidei Pontifici Definienti credere? loquor autem de ſolenni definitione

finitione ex Cathedra: quæ propria quæſtio eſt. In qua profiteor me ſyncere incorruptèque meum prolaturum eſſe judicium, nullo ſane perverſo affectu occupatum. Et quoniam video Heterodoxos dicere ſolere, qui Papæ dignitatem, & authoritatem tuentur, eos aſſentandi, & ambiendi gratiâ id efficere, nec quid ſentiant candidè, quod ſint candidati, ſed fictè proferre, teſtor Deum me ſolo ſtudio veritatis, non aut aſſentationis, aut ambitionis quicquid dixero, non compoſitum apud me & affectatum, ſed ratione duce inventum perſpectumque afferre: ac in ſcribendo ingenuum, candidum fore, non obnoxium, & candidatum. *Si* inter eos qui me norunt loquerer, id opinor, facilè perſuaderem, ſciunt enim me verum & amare & dicere, ingenio libero eſſe, magnaſque ſæpe & graves pro libertate tuenda judicij contentiones ſuſcepiſſe. A ſede autem Apoſtolica nihil omnino accepi, nec ſpero accipere, nec ei quicquam præter amorem & obſequium debeo: nec ſpes inanes fovere ſoleo quibus duci nec natura, nec mens mea, nec inſtitutæ vitæ rationes, nec ætas, nec per illus gradus ſociæ ſemper calamitates patiuntur. Hoc ſciat quicunque mea legere ſcripta volet, unam mihi propoſitam fuiſſe veritatem, non ornatam aut fucatam, ſed incomptam & nudatam: adeo ut cum pulchra ſit, ſæpe in ea deformitatem deſide rem ne videar amare pulchritudinem, cum non amem niſi veritatem: itaque eum deformem invenire nequeam, quæro defor-

deformatam, ut amare poſſim incorruptius, & ardentius. Ita me Deus amet, ut ſi intelligerem Pontifici non ineſſe prærogativam infallibilis authoritatis, eam libere & conſtanter negarem: quod ſi ob id Cœlum in me illaberetur: *Impavidum premerent ruinæ.*

Hoc animadverſo cenſeo: qui abſolutè neget infallibilem eſſe Papæ de fede Petri, ac (ut aiunt ex-cathedra) Definientis Authoritatem: ac Definitis non credat, eum haud dubie errare in Fide, & ſi in errore obſtinatus perſeveret, Hæreticum fore. Hoc ego demonſtratione perſuadeo. D. Petrus uti Caput & Paſtor Eccleſiæ hujuſmodi à Chriſto Domino Privilegium pro ſe ac ſucceſſoribus accepit: *Papæ ſunt legitimi Succeſſores Petri, ergo idem ſuccedendo in Cathedram privilegium acceperunt.* Patent Omnes Propoſitiones. Major eſt certa & de Fide, uti prima & ſecundâ quæſtione probavimus. Minor eſt indubitata, & cum Eccleſia tota eos Papas agnoſcit & recipit, omnino de Fide: conſequentia non poteſt non eſſe de Fide, non ex vi illationis, ſed contentæ in illata conſequentia veritatis: nec video quid amplius deſiderari poſſit. Me certe argumentum convincit: nec dubito quin illud juſta demonſtratio ſit. Ac nolo meo tantùm in re tam gravi uti judicio. Igitur Magnus Theologus Melchior Canus lib. 6. de locis c. 7. in eadem ferè me ſententia fuit. Eam ibi latè ac perſpicuè tradit. Deinde ſententias. Incipit. *Romanum Pontificem in Petri locum, fidem, au-*

 thori-

thoritatemque ſuccedere Eccleſia ab Apoſtololorum tempore ſemper agnovit. Et paulo poſt. *Cum Concilia Provincialia & Generalia ſine Romani Pontificis authoritate nonnunquam erraverint: nunquam autem ſi Romani Epiſcopi authoritate firmata ſunt: ſatis perſuaſum eſſe debet Conciliorum, atque adeo totius Eccleſiæ firmitatem à Romano Pontifice derivari.* Tum propriè ad quæſtionem. *Quæris. Eritne Hæreticum aſſerere Romanam Eccleſiam degenerare ut cæteras poſſe, & Apoſtolicam etiam Sedem à Fide poſſe Chriſti deficere?* Aitque modeſte: *Reſpondemus. Nolumus hic nos Eccleſiæ ſententiam prævenire, ſed ſi ad Generale Concilium referatur, Hæreſeos nota illi inuretur.* Et infra. *Quanquam non videor antevertere, cum jam ipſius Eccleſiæ ſermo noſtram omnem comprobarit de Romanæ Sedis authoritate ſententiam.* Ac omnino ad convincendum Thomæ Angli errorem adjungit præclare. *Illud aſſero, ac fidenter quidem aſſero, peſtem eos Eccleſiæ ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in Fidei doctrinæque authoritate ſuccedere: aut certe aſtruunt Summum Eccleſiæ Paſtorem, quicunque tandem ille ſit, errare in Fidei judicio poſſe.* En, quod Blacolus ſupra falſò contra Catholicam ſententiam affirmantem Papæ authoritatem dixerat, Canus de negante dicit, Uter melius? judicet Lector. Norit autem Blacolus ſe Cano contradicere, haud paulo opinor, doctiori. Audiat, ut ſciat quibuscum ſentiat. *Utrumque*, inquit *Hæretici faciunt*: & cum ijs Blacolus, qui negat ſuccedere Petro in authoritatis privilegio, &

affirmat

affirmat errare in ea Sede Pontificem. Pergo cum Cano. *Qui vero illis, in utroque repugnant, hi in Eccleſia Catholici habentur.* His ego accedo, qui Blacolo non aſſentior. Itaque judicio Cani, Thomas cum Hæreticis, ego cum Catholicis ſentio, quibuscum etiam idem Cano ſentit. Idem Bellarminus, idem Hoſius idem Stapletonus, idem Roſtenſis, idem Becanus, & controverſiarum cum Heterodoxis Authores: idem Theologi cum Divo Thoma 2. 2. q. 1. a. 10. unanimi fermè omnes conſenſu tradunt. Ex quibus placet Suarium ſummum virum citare tomo Defenſionis Fidei. lib. 1. a. c. 6. & lib. 3. c. 18. ac præcipue c. 1. lib. 1. ubi ſic: *Veriſſimum* inquit eſt *Definitionem Pontificis ex Cathedra loquentis infallibilem veritatem continere, omnesque Fideles teneri, ad illam firmiter credendam.* Et objectioni Thomæ Angli occurrit: qui in Eccleſiam illud Privilegium confert: ait enim, *Cum Pontifex definit, Eccleſia per Caput ſuum loquitur.* Contrariam autem ſententiam Hæreticis attribuit & condemnat. Eadem eſt Celotij. lib. 4. de Hierarch. Juriſdict. c. 10. ubi exacte deſcribit quid ſit ex Cathedra loqui. Atque ut Anglum Anglo Thomæ amicum doctiſſmum Authorem opponam, produco P. Franciſcum à Sancta Clara Exprovincialem ejuſdem Angliæ, Inſtituti mei, qui in ſuo ſyſtemate Fidei 28. n. 6. ita: *Graviſſimi* inquit *Doctores tenent ſententiam Summi Pontifices, obſervatis ſcilicet obſervandis, ſeu præmiſſâ debitâ conquiſitione pronuntiatam, & toti mundo, non hoc vel*

illo loco propositum, Fidem generare. Et sine dubio est opinio summè probabilis, imo videtur esse ferè certa, adeo ut si quem audirem, qui hujusmodi Pontificias Decisiones temerè rejiceret, haberem suspectum. Mollius aliquanto censet, sed non patitur contrà sentire. Credo minimè pati illum, audacem Thomæ Angli opinationem, qui non modo contra sentit, verum etiam sibi contradicentes condemnat. Quo fit, ut omnino sit Theologiæ Princeps D. Thomas condemnandus: qui. 2. 2. q. 1. a. 10. et q. 2. a. 11. Paragrapho, *ad Tertium. ubi dicit, Quòd authoritas Ecclesiæ universalis principaliter residet in Summo Pontifice.* At vero q. 1. a. 10. affirmat: *ad ejus authoritatem pertinere finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, ut ab omnibus incunctanter teneantur.*

Non igitur judicium illud meum quisquam taxet, cum Catholicum sit: nec putet me, qui in censendo mitissimus esse soleo, ingenij mei oblitum esse. Cato esse tertius nollem, ac nescio quo fato ex duobus, minus Censorium quàm Vticensem amo. Siquis tamen mihi duritiem calculi impingit, legat Annatum egregium Theologum contra Baianos. lib. 3. c. 5. & Antoninum Moraines, sive Martinonum in suo Antijansenio d. 39. sect. 6. qui in eos qui Pontificiis Decretis à sede Romana profectis non obediunt, multo vehementius quàm ego in Blacolum invehuntur. Et quidem hic cum hæreticis prorsus consentit, nam quæ affert ad convellendam Papæ authoritatem argumenta, ab Hæreticis sumpta

ſumpta recoxit, & objecit, quemadmodum videre eſt in Arminio, & Gardio, & Marco Antonio de Dominis: alios antiquiores nominem Lutherum ne & Calvinum qui virulento halitu, Spiritûs Sancti in Petri Cathedram afflatum difflantes, teterrimam hæreſeos peſtem in Eccleſiam invexerunt. Et quoniam Gardij & Marci Antonij argumenta ſunt apud Becanum & propoſita, & ſoluta: opus non eſt ea producere.

Arminii tantum propono, ut appareat in eandem ſententiam, & rationes cum Blacolo convenire, & cum idem ſit Arminij cum reliquis hæreticis ſenſus, (nam omnes adverſus Papam conſentiunt) ſi cum Arminio conveniat Blacolo, neceſſe eſſe eum cum omnibus hæreticis conſentire. Igitur Arminius orat. *de componendo Religionis diſſidio* improbat modum Eccleſiæ Romanæ quo ad controverſias Fidei tollendas *Papæ judicio* utitur, & *vanum* eum dicit, & irridet, quod omninò fallibilis ſit: & in Scripturis minimè contineatur. Id ipſum Thomas Angli in his Paragraphis placitum eſt. Rurſum in Diſput. privatis Arminius Theſi 55. poſtquam de Poteſtate Dogmatum tradendorum hæreſim ſuam tradidit: in Corollario ita, *Cœmentũ eſt*, inquit, *Pontificiorum de Spiritu Sancto ſic aſſiſtente Eccleſiæ, ut in judicio de authenticis Scriptis faciendo, & rectâ ſenſuum Divinorum interpretatione errare non poſſit.* Hoc ipſum Thomas Anglus ſenſit de Aſſiſtente Spiritu Sancto, imo & id *Commentum* dicit *Modernorum*, initio Parag. 17. ut ne verbis quidem ab Arminio

minio diſcordet. Tertius locus eſt in Arminio. Diſput. publicâ XXII. Paragr. 16. in quo ſuam magis explicat, & Catholicam improbat ſententiam: qui rem omnino continet: in eo enim audias loquentem Thomam Anglum. *Accedit*, inquit, *hæreſis alia, & ipſa principio Fidei adverſa, quâ Pontifex Romanus totius in terris Eccleſiæ Princeps, Caput, Sponſus, Univerſalis Epiſcopus, & Paſtor conſtituitur, qui omnem ſcientiam veritatis in ſcrinio pectoris ſui poſſidet, perpetuam habet Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, ita ut errare in præſcribendo, quæ Fidem & Cultum Divinum concernunt, non poſſit, qui Spiritualis ille homo eſt, qui omnes, & omnia judicat ipſe à nemine judicandus, cui omnes Chriſti Fideles de neceſſitate ſalutis ſubeſſe oportet: cujus decretis & præceptis non ſecus, quam ipſius Dei & Chriſti ſimplici Fide & cæca obedientiâ aſſentiri, & obſequi quenquam Chriſtianum decet.* Et Addit.

Et *hoc eſt alterum Regni Antichriſtiani fundamentum ex adverſo oppoſitum Fundamento Regni Chriſti.* Sanè cùm Arminium anteà legiſſem, & poſtea in hoc opuſculum Thomæ Angli incidiſſem, judicavi geminos eſſe ambos ſentiendo, etſi loquendo diverſi, quòd Arminius elegantius dixiſſet. Itaque ſenſu pares, eloquentiâ diſpares eſſe. Utrique Anti-Chriſti comparatio placuit. Niſi quod clarius eâ uſus Arminius: obſcuriùs Thomas, dum illud jecit *Papæ evectionem ſupra omne quod dicitur Deus*, quod de Antichriſto 2. ad Theſſalon. Epiſt. cap. 2. Paulus haud dubiè dixit: uterque autem

Thomas

Thomas & Arminius eundem locum Summo Pontifici Romano authoritatem Infallibilem virtute Cathedræ profitenti, objecit. Quo ſpiritu viderit Thomas, Arminius certè acatholico, & hæretico.

Si quis cum Gardio Thomam, & Marco Antonio de Dominis comparare velit Becani locos citabo, & cum jam Thomæ exhibuerim, haud difficile erit conſenſionem inter ſe omnium deprehendere. Igitur quid Gardius ſentiat, habet Becanus tom. 5. Controvers. in Apologia pro judice controvers. Argumento 8. quod ijſdem rationibus, quas affert Anglus, qui exploret, conſtare videbit. Marci Antonii hæreſim proponit eodem tomo. l. 2. de Repub. Eccleſiaſtica. Unde patet ſententiam Thomæ Angli negantem infallibilem Papæ authoritatem hæreticorum eſſe: non Catholicorum, atque adeo erroneam & ſuſpectam ſaltem hæreſeos eſſe habendam.

At obijciet Thomas, non omnes Catholicos ſequi hancde infallibili Papæ authoritate (ſeude Concilo univerſali quocum jungatur Papa) ſententiam. Nam: fuiſſe aliquos, qui dicerent Papam extra univerſale Concilium non minus errare poſſe quàm Concilium ſine approbatione Papæ, Author eſt Pater Becanus tomo. 5. Controvers. in Apologia pro judice Controverſiarum, in reſponſione 2. ad argumentum Gardij, cui ſic reſpondet; *Negandum eſt Pontificem, ut Pontifex eſt, fallibilem eſſe in doctrina Fidei, licet fallibilis ſit, ut homo privatus eſt.*

Nec

Nec aliter docent Catholici, exceptis illis, qui putant illum falli posse, si aliquid definiat sine Generali Concilio, non posse, si cum Generali Concilio. Quos excipit, cum ijs Thomas Anglus sentire se dicat: & hæresim vitabit. Præterea Canus lib. 6. locorum. c. 7. non omnino audet, etsi maximè cupiat ei sententiæ hæreseos notam inurere quod quidam Catholici Authores eam sequantur. Unde ait. *Hoc vix ægrè dico propter viros quosdam & doctos & pios, qui nobis contradixerunt.* Et Paulo post. *Non equidem intelligo quonam consilio Fideles quidam hæreticorum quàm Catholicorum opinionibus favere malint:* quo sanè declarat aliquos Catholicos necignobiles authoros, cum doctos & pios vocet, in Blacoli esse sententia. Nonnullos nominat P. Franciscus à Sancta Clara in suo erudito libro de Fidei Systemate, c. 28. & c. 33. cui cum magis placeat communis, quam probavimus de infallibili Papæ ex Cathedra loquentis extra Concilium sententia, non audet tamen is contrariam hæreseos condemnare, ne Catholicos quoque condemnet.

Respondeo tamen objectioni, rectè à me statui hæreticum esse eum, qui neget absolutè infallibilem Papæ de Sede Petri, sive ex Cathedra definientis authoritatem, quia qui hoc absolutè negat, simpliciter & omnino negat illam prærogativam authoritatis, quocunque modo sumatur: nullatenus enim eam admittit, quemadmodum facit Thomas Anglus, qui ne includens quidem Concilium, admittit assistentiam spiritûs sancti: At illi Catholici

Authores, qui aiunt Papam extra Concilium non habere illam authoritatem, non negant absolute habere, sed eam circumscribunt & addicunt nexui cum Concilio, & in modo videntur discrepare: nam dicunt illud esse definire ex Cathedra, cum aut in Concilio, aut cum Concilio definit: & ita putant hæreseos notam effugere: nec enim negatio cadit supra rem, sed supra modum, atque adeo non est absoluta negatio. Imo pauci dicunt necessarium esse nexum cum Concilio, nam major eorum pars ait sufficere consensum Ecclesiæ recipientis Decretum Pontificis. Unde, si quod definit Pontifex in lucem exeat, & toti Ecclesiæ sufficienter proponatur, & illa recipiat, satis esse dicunt, ut definitio in Fidei Decretum transeat.

Qua de re Roffensis a. 27. & 28. & Celotius lib. 4. de Hierarch. & Becanus tomo 5. Controvers. in Apologia. Marchancius opusculo Exam. Cur. myst. & Franciscus à Sancta Clara cap. 28. & 33. qui partim ita opinantur, partim ita opinantes excusant. At nemo erit qui excusare possit Thomam Anglum, qui hanc infallibilitatem penitus negat tum Concilijs, tum Papæ: etiam conjunctis et nexis: & aufert omnem Assistentiam Spiritus Sancti, ac errare eos posse contendit, quod nemo Catholicorum, opinor, dicere est ausus, imo ne multi quidem hæreticorum Concilijs Universalibus infallibilem authoritatem negare ausi sunt.

Quare datâ operâ dixi in concluſione *Abſolutè negantem, eum hæreticum eſſe*: ne aliquot, etſi male ſentientes Catholicos, condemnarem: quanquam exiſtimem cum Cano, ſi hujuſmodi quæſtio in Concilio proponatur, definitum iri: Summum Pontificem extra Concilium, & ante conſenſum Eccleſiæ ex Cathedra loqui poſſe, & ſi quid ex ea Petri authoritate definiat, id omnino ad Fidem pertinere: & qui contra ſentiat eum hæreticum fore: quam exiſtimo eſſe ſententiam Divi Thomæ. 22. q. 1. & q. 11. & communem Thomiſtarum & Theologorum. De Thoma Anglo ita ſentio, eum non poſſe ab errore ulla ratione excuſari. Ejus ego ſententiam, meumque de illa judicium ad ſedem Apoſtolicam remitto.

ARTICULUS

ARTICULUS II.

Alij errores Thomæ Angli recenſentur, cenſenturque.

GRave mihi, & acerbum eſſe fateor hominem Catholicum &, ut aiunt pium, & bene moratum erroris appellare: cumque eo de violato Religionis jure diſceptare: mallem profectò cum Heterodoxo contendere, aperto ſcilicet & jurato Romanæ Eccleſiæ hoſte, ut juſtiùs, & ſpecioſius bellum videretur. Sed cum videam Thomam Anglum pravis imbutum opinionibus Romanæ & Catholicæ doctrinæ arcem oppugnare, & hoſtis perſonam ſuſcipere, neceſſe erit occurrere, & arma opponere, impetumque aggredientis avertere. Nec me pudebit eum hoſtis loco ducere, quem non puduit hoſtis perſonam ſuſcipere. Imo juſtius cum eo dimicem, quod ille injuſtiùs ad caſtra Heterodoxorum opinando defecit, & cuſa in eorum officina arma comparavit, & in Eccleſiam matrem convertit. Itaque non in Thoma ego

Catholicum, ſed Heterodoxum oppugno: nec tam condemno, quam de violata Religione ſuſpectum jure vador, & dicto vadimonio ad Romanum Tribunal ſiſto. Meum eſt cauſas aperire, Eccleſiæ judicare.

Primus Error eſto: privare Cathedram Romanam protectione ſpeciali Dei regentis, ne à Fide deficiat, eamque in Cathedram peſtilentiæ convertere remoto ab ea Spiritus Sancti afflatu, quo negat inſidentes eam Pontifices foveri. Quæ Heterodoxorum hæreſis eſt: de qua multa ſuperius diximus.

Secundus: negare hujus Privilegij fundamentum; quòd nullas in ſacris litteris, nec in Patrum monumentis radices habeat: nec traditione aliquâ, conſuetudine ve Eccleſiaſticâ firmetur, quod omnino Hæretici negant: nos vero contra tot locis ſacræ Paginæ: Conciliorum Decretis, Patrum teſtimoniis, uſu & praxi Eccleſiæ abundè confirmavimus.

Tertius, Ne Concilijs quidem univerſalibus Aſſiſtentiam Spiritus Sancti, & infallibilem authoritatem concedere, etiam ſi juſtè ac legitimè congregata habita, confirmata ſint. Qui quantus ſit Error Heterodoxi teſtantur, quorum plerique non audent Conciliorum authoritati refragari. Sane moderatius imo honorificentius de Generalibus Conciliis loquitur Reformatio Anglica ab Henrico 8. inchoata & ab Edvardo 6. provecta: titulo. de Fide & ſumma Trinit. c. 14. quàm Thomas Anglus, hac in re malè Anglus. Sed quod attinet Conciliorum Authoritatem, meum non eſt de ijs hic accu-

accuratius agere: Thomam ad P. *Franciſcum à Sancta Clara* remitto. Novit hominem. Diſcat ex ejus ſyſtemate quid tenendum ſit: ac proficiet; niſi malit cum Arminio magno Papæ & Conciliorum hoſte ſentire: cui ea impugnanti Diſput. privat. Theſi 58 prorſus conſentit: ita ut ne ovum quidem ovo magis ſit ſimile.

Quartus: Affirmare Pontificem *poſſe hæreſim promulgare* quo verbo utitur Thomas imprudenter ne dicam, an impudenter? Si diceret poſſe errare Pontificem, utcunque ferendum: nam videretur de perſona Pontificis privata loqui, quam immunem non eſſe ab errore, Theologi Catholici fatentur. Si ultra tenderet, affirmando in hæreſim poſſe incidere: non idcirco damnandum: nam etſi ego putem Papam errare in Fide poſſe, hæreticum eſſe non poſſe, quia Pertinacem fore non puto, video tamen Canones, & Concilia id ſupponere, ut patet ex cap. *Si Papa.* diſt. 40. & ex Concilio Romano ſub Adriano, & ex octava Synodo. & quæſtionem inſtitui à Theologis *Utrum is & aquo deponendus ſit?* quemadmodum diſputat Bellarm. de Rom. Pontif. l. 2. c. 30. & Suarius tomo de Defenſione Fidei. l. 3. & 4. Imo & Canus tantus Author, non dubitat aſſerere Papam in hæreſim poſſe incidere: quod expreſſè tenet lib. 6. Locorum c. 8. prope finem. Uerum affirmare Papam *poſſe Hæreſim promulgare*, uti affirmat Thomas Anglus, ſuſtineri nullo modo poteſt. Nam promulgatio Hæreſis, eſt publica & ſolennis propoſitio,

quæ

quæ non procedit à privata perſona, ſed publica: & ex publica authoritate, atque adeo ſi à Pontifice ſit, ab eo tanquam loquente ex Cathedra procedet, quod eſt à Catholica Fide alienum. Unde *Canus* proximè citatus, cùm admittat Papam hæreticum eſſe opinando poſſe, negat docendo poſſe. Ipſum audiamus. *Non eſt igitur negandum, quin ſummus Pontifex hæreticus eſſe poſſit, cujus rei exemplum unum & item alterum forſitan proferetur; at quod in Fidei judicio contra Fidem definierit, ne unus quidem proferri poteſt.* Cum autem errare uti judex non poſſit, minus uti Paſtor promulgare Hæreſim poterit, nam hoc eſſet dogmatizare in perniciem Eccleſiæ, & motu proprio de Sede Petri tanquam legem Hæreſim promulgare: quod fœdum cogitatu, & horribile dictu eſſe, quis non videt? Quantò eſt Thoma Anglo Bellarminus! quantò Oſius! Quantò Turrecemata! Quantò *Canus*! Quantò Becanus! Quantò Suarius Religioſior & Prudentior! qui non modo negant Hæreticos Pontifices cum loquuntur ex Cathedra eſſe poſſe, verum etiam quibus Errores ab Heterodoxis, Orthodoxisve tribuuntur, eos ab Erroribus omninò liberos eſſe volunt. Qua in re defenſorem ſe præſtat Albertus Pighius acrem & vehementem. lib. 4. c. 8. de Hierarch. Eccles. Equidem mallem, ut cum his Principibus Anglus pro Fide Patria, quam cum hoſtibus contra illam pugnaret.

Quintus: Supponere Authoritatem quam Summo Pontifici ineſſe dicunt ex Evangelio & Concilijs

ciſijs, & Patribus Catholici, eſſe Fidei Artificem: eámq; ita vocare, ut conſtat ex ultima linea Paragraphi 22. ut enim ſuam opinationem confirmet, jactat à ſe explodi illam *Poteſtatem Definitivam & Fidei Artificem.* perinde ac nos Papæ tribuamus Poteſtatem condendi Articulos Fidei. Sed non miror Thomam hoc Anglum obijcere, nam qui ſemel cum Hæreticis ſentit, neceſſe eſt perperam ſentire: eum qui à veritate aberrat, omnibus ſe exponat erroribus: nec id Stoicorum eſt Paradoxon. Igitur quod Thomas ſupponit, magna vi nobis Hæretici obijciunt: non enim diſtinguunt inter hæc duo, *Facere articulum de Fide*, & *Declarare eum eſſe de Fide* : cum multum inter utrumque interſit. Nec enim conduntur Articuli de novo, ſed demonſtrantur: uti cum quis theſaurum terrâ obrutum eruit, & oculis exponit: non gignit theſaurum, ſed monſtrat: ita Eccleſia & Pontifex Veritatum aliquot opes in ſacris litteris contentas, ignotas adhuc & occultas, & in Traditionum ſcrinijs cuſtoditas patefacit, & in lucem edit, & quaſi intento digito indicat, & demonſtrat. Unde Auguſtinus Fidem Theſauro l. 1. de Geneſi ad litteram. c. 26. comparavit. Itaque omnes Catholici authores docent, Eccleſiam non eſſe Authorem Fidei, ſed judicem & teſtem. Id Scotus in 4. d. 5. q. 1. Id D. Thomas 1. p. q. 1. Id Gerſon. verit. neceſſar. docent. Sequuntur Stapletonus Relect. cont. 4. q. 2. Roffens. art. 28. cont. Lutherum. Valent. de Fide q. 1. p. 1. Smiſing. proæm. q. 1. n. 22. Suarez de Fide

et

& in tomo Defenſionis Fidei. lib. 1. c. 18. & Becanus tomo 5. Controv. ſæpe. Davenport. in ſyſtem. c. 2. & 3. Non eſt igitur Artifex Fidei cum articulos Fidei definit Pontifex, ſed eorum expoſitor & commonſtrator: quemadmodum veritatum, ſiquas ſcribendo demonſtrat Thomas Anglus non eſt factor, ſed demonſtrator. At condit Pontifex Decreta & Conſtitutiones. Sanè, ſed aliud eſt Decretum, aliud res quæ Decreto continetur: nam Decretum eſt Formula verborum, non res quæ ſub ea Formula continetur, cujus Decreti author conditor non eſt, ſed teſtis ac præceptor. Niſi forte ſi quis dialecticæ Magiſter veritatem aliquam demonſtratione compoſitâ demonſtrat, quòd Formam eam argumentando conficit, conficit etiam veritatem.

Sextus & ultimus Error eſt. Prava illa, & intemperans Cenſura, quâ notat communem Catholicorum ſententiam. Nil tam eſt à ratione, & juſtitia alienum, quàm temerè de ſententijs Catholicis judicium ferre: eaſque perverſè taxare, adeo, ut Eccleſia iniquiſſimè ferat, vel probabilibus, & quæ ſuſtineri poſſunt ſententiis notam hæreſeos erroriſve inuri: et quidem jure: nam ſicuti non eſt privati hominis aliquid cenſere de fide eſſe, ita neque aliquid hæreticum eſſe pronuntiare, cum id dubium eſt, & aliquo modo ſuſtineri poteſt. Jam vero cum ſententia communis eſt, ac pene Catholica, ſi quis eam Hæreticam dicat, graviſſimè quidem peccat: nec

ullo

ullâ ratione à temeritate liberari poteſt. Itaque, me authore, & ſi in multis erret Thomas Anglus, uti ſupra oſtendimus multo in ijs minus erravit, quam in hoc projecto inſolentique judicio: quod ille tot calumnijs, tot diris exaggeravit, ut etſi verum diceret, turpiſſime tamen maledicendo delinqueret. Nunc cùm in eam ſit invectus quæ tuta & pene Catholica eſt, ſententia, non poteſt non ab omnibus rectè ſentientibus temeritatis damnari. Et quidem obſervo Summis Pontificibus in cenſendis Authorum quorundam ſuſpectorum placitis rationem item habere ſolere notarum quibus oppoſitas ſententias afficiunt, ac in eas Cenſuræ ſuæ fulmen intorquere. Quod in lata à Romana Sede adverſus Baium, Janſenium que Cenſura videre eſt.

Ac inprimis duæ Bullæ adverſus quaſdam propoſitiones Baij expeditæ ſunt: alterà à Pio V. altera a Gregorio XIII. eàrum cenſuram continentes. Quam expendens vir graviſſimus Vaſquez 1.2. tom 2. d. 19. c. 18. ait nonnullas continere opiniones reapſe tutas & ſanas: cujuſmodi quatuor ſunt 29. 30. 36. 61. quas ille liberat ab errore, nec vult abſolute damnari à Pontificibus: nam ſi damnarentur, & ſua celebris de neceſſitate Gratiæ Chriſti *ad omnes actus morales bonos*: & Bellarmine & Tolite *ad tentationes ſuperandas* ſententia, ut ait Vaſquius, damnaretur: quod nullatenus admittendum: cùm præſertim ipſe Toletus cum eâdem Bulla Lovanium ad eam publicandam, & con-

troversiam, & Bullæ iustitiam Vasquez sustineat, optime animadvertit, præterquam quod Pontifices dicant *nonnullas aliquo modo sustineri posse* (in quibus hæ 4. numerari possunt) non taxare, in quibusdam rem contentam in propositione, sed notam quam inurunt oppositæ sententiæ: & ob notam falsam & injustam, propositionem damnare. Audiamus Vasquium. n. 176 *Ego non dubito illas propositiones, quas memoravimus, sicut etiam multas continentes acre iudicium, quo doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantùm, ut scandalo & offendiculo patentes, & hac ratione solùm prohiberi: nam & audacia nimiaque arrogantia in aliorum sententiis maligne vellicandis, ac lacerandis non parum scandali afferre solet, aquo docti & prudentes Theologi in suis Scriptis abstinere deberent. Hac eadem de causa in Ecclesia prohibitum est, ne ullus Theologus disputans aut edisserens de Conceptione Beatæ Virginis ita suam sententiam pronunciet, ut oppositam suggillare, aut aliquam notam ei inurere audeat.* Et addidit in rem aptissimè. *Ex eo quod prædictæ propositiones continentes severiorem notam oppositæ opinionis hoc modo reprobatæ, interdictæ sint à Pio V. & Gregorio XIII. non proinde ullo modo in damnationem aut notam incidit sententia Authoris de ea re, si tollas censuram de opposita.* Et mox. *Non ergo incusatur prædictus Doctor, quod hanc sequatur sententiam, sed quod oppositam erroris arguat.* Idcirco ipse Vasquez cum suam putet Conciliorum & Patrum esse sententiam, ait nolle se oppositam ullâ notâ afficere,

quòd

quòd ſciat quantum ſit crimen acriter temereque cenſere. Quod ego ſemper Vaſquij judicium non probavi tantùm poſtquam agnovi, ſed ingenio ad modeſtiam naturâ comparato, antequam noſtrum occupavi. Itaque & mitiſſimus ipſe cenſendo fui, & in alijs moderationem amavi. Hoc me animo cum Auguſtinus, cui me totum dedidi, informandum accepiſſet, documento ſuo in ſuſcepto conſilio confirmavit. Nemo eſt enim Author durior ad accipiendam exaliena doctrina offenſionem, nec mollior ad deponendam, nec moderatior ad damnandum: nemo eo difficilius alienos errores credit, nemo libentius excuſat, nemo mitius accipit, nemo moderatius cenſet: ut videatur malle non invenire errores, quàm condonare. In quo genere ſevero acriùs taxandi, quia vehementior eſt Hieronymus, minus me ſui, quam Auguſtinus amantem habuit, Cumque Patri Franciſco Suario inſigni Theologo multùm honoris ſemper detulerim, eo nomine detuli plurimùm quòd cum abundet ſcientiâ, in cenſenda aliorum inſcitia maximè parcus ſit. Quorum modeſtiam ſi Recentiores quidam Theologi imitarentur, minus certè turbarum & in ſcholis, & in concionibus, imo & in Eccleſiis excitarent. Sanè quæ majore ſe mole voluunt flumina ea minus ſtrident & murmurant, & taciturnitate illâ ſuâ profunditatem ſuam commendant: quam quia rivi, torrentes que non habent, inquoſcunque lapides alliduntur, murmur & ſtrepitum excitant. Ita naturâ com-

paratum, ut qui multa ſciunt excuſare norint, quòd viasomnes evadendi callent : qui pauca noverunt, cum ignorent alia, quicquid præter ea quæ norunt audiunt, errorem putent. Et id inter civem & advenam intereſt, quòd, hic unam tantum Regiam & communem ad civitatem ducentem viam novit, callium flexus & ſemitarum anfractus ignorat: Civis omnia viarum compendia perſpecta & explorata habet, Unde fit ut advena quoſcunque præter Regium iter euntes videat, eos errantes putet, & corripiat. Civis ire permittat quod ſciat aliis item itineribus in vrbem vadi. Ita ille ex ignorantia taxat, hic ex ſcientia tacet.

Ad inſtitutum redeamus. Nota immoderata atque perverſa ferri ſanè non poteſt: ac in Baio jure damnata eſt : ejus que exemplo pœna ſancita. Et nuper alio Janſenij, cujus è quinque propoſitionibus duæ Quarta & Quinta ob pravam cenſuram ab Innocentio Papa X. damnantur. Dum enim Semipelagianas duas eas ſententias in propoſitionibus contentas appellat, eo nomine ipſe taxatur, non quod alio item ſenſu non taxentur, ſed quod hoc etiam perverſæ cenſuræ vitio reprehendantur. Qua de re nos latè ac dilucide, opinor, in Mente Innocentii egimus.

Igitur graviſſimè peccat Thomas Anglus in hujuſmodi cenſura prava, & intemperanti Catholicæ ſententiæ, quam cùm debuiſſet venerari & ſequi, tam acriter inſectatur ut omnes maledicentiæ habenas effundat : eamque ita execretur, ut qui ejus

tantum

tantum cenſuræ rationem habeat, vel ex ea, quod minus ſit Theologiæ peritus, ueritatem ſpectare velit, judicaturus ſit, eam & hæreticam & abſurdam eſſe, imo & deteſtandam, diris que omnibus devovendam. Unde etſi in aliis non erraſſet Anglus, vel ob iſtud cenſuræ iniuſtæ & contumelioſæ crimen ad Tribunal Romanæ Sedis ſiſtendus ejuſque ſententiâ condemnandus. Quod ſi contingat, magnopere propter perſonæ dignitatem & profeſſionem dolebo, ſed non potero tamen non & ejus crimen agnoſcere, & de eo probare iudicium: multa enim neceſſe eſt juſte fieri, quæ non niſi dolenter accipi poſſunt. Si quis autem diſſentire à me ipſo me exiſtimet, quod in meo lituo acrius acerbiuſque cum Thoma, quam par eſt, egerim, nec moderationem quam laudo, in eo cenſendo tenuerim, is precor, expendat cauſas à me ibi hujus acerbitatis adductas, & cenſuram minime culpabit meam, cum præſertim ego non tam in ejus proprios priuatos que errores, quorum me magnopere miſeret, quam in protervam ejus de alienis ſententiis procacem que Cenſuram ſim invectus.

Moneo.

Injurioſo ne pede prorues
Stantem Columnam.
Nec captet riſus hominum, famam que dicacis
Inveniet enim qui *Par* Pari *reddat, quod mordeat.*
Et graviora notet dentatâ Criminâ chartâ.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

Sententiæ quædam nexæ cum hoc errore Thomæ Angli proponuntur & refelluntur.

THeologica quædam Authoris opuscula ac curate legens, comperi eum ex illo de Authoritate Papæ perverso judicio insolentes & temerarias non paucas opiniones tanquam ex Fonte duxisse: aliisque, si in eo sit deinceps perstandum, occasionem præbuisse, quibus ni occurram fieri poterit, ut & ille novos errores hauriat, & cæteris propinet. Nam qui semel negat infallibile Papæ in decernendo judicium, consequens est eum illius Decretis minimè obtemperaturum. Id & accidisse Authori exemplis adductis confirmem, & ne postea accidat, monendo occupabo.

Igitur in appendice, quam adversus me edidit in Causa Jansenij non minus meum de Censura Pontificis, quàm Pontificis de Propositionibus Jansenij

nij judicium damnavit. Quod duobus modis effecit. Altero ſuſtinendo damnatas propoſitiones, affirmando in ſenſu Scholaſtico, & proprio veras & Catholicas eſſe : altero negando eſſe Janſenii, in eo quo damnatæ ſunt ſenſu. Qui ſanè errores ſunt, quemadmodum nos in lituo noſtro ejus Tubæ oppoſito probavimus : ac idcirco monſtrare omittimus. Utrumque autem ex eo Fonte deduci conſtat, quia ſi ſacra ei & Sancta Pontificia authoritas eſſet, non auderet ille Conſtitutionem Papæ impugnare : tum negando Propoſitiones eſſe Janſenii, quòd omnino Pontifex affirmabat, tum affirmando eas Catholicas, & ſanas eſſe, ſi proprie ſumerentur, nec in alienos ſenſus torquerentur, perinde ac Pontifex torſiſſet, torquendo que damnaſſet. In utroque erraſſe compertum eſt. Et quidem in ſuſtinendis Propoſitionibus Janſenii poſt expeditam Bullam, ac in Bulla ipſa eludenda & impugnanda gravius deliquiſſe nemo ambigat. Quod autem errarit negando, eas Propoſitiones eſſe Janſenij, ſatis jam tum conſtitit, & ego oſtendi. Nunc vero manifeſte apparet, poſt grave illud, & venerabile Epiſcoporum Galliæ, ea ſuper re prolatum, publicatumque judicium, quod ego non dubitem Juſti Concilii Decretum appellare, cum tot tamque clari doctrinâ, & Pietate Patres Præſide Eminentiſſimo Cardinali Julio Mazzarini ritè congregati cenſuerint, illas quinque Propoſitiones damnatas eſſe Janſenij, ac uti ſunt damnatæ, ab eo traditas fuiſſe. Cui nemo ſine

magnâ

magna temeritatis nota refragari poſſit. Ego certe cùm vidi, tanquam oraculum é Cœlo lapſum accepi & veneratus ſum.

Jam vero poſtquam recens hoc anno à ſacra Romanæ inquiſitionis Congregatione expedita eſt Sanctiſſimi Patris noſtri Innocentij Papæ X. contra libellos Janſenii opinationibus faventes Conſtitutio, commentariolus iſte Thomæ Angli adverſus meam Cenſuram ſcriptus omnino proſcribitur, cum in eum præcipue, quòd quinque illas Propoſitiones Janſenij damnatas defendat, fulmen illius Cenſuræ Inquiſitoriæ jaciatur. Ac id ego certe in mea quam obtuli reſponſione fore prævideram, uti monui: nec dubito quin & quædam alia ejuſdem hominis ſcripta cito damnentur, ut verus vates (etſi ei Celæno infelix videar) exiſtam.

Venio ad aliud Thomæ Angli crimen, quod partim proditum evulgabo, partim occultum & obrutum prodam. Diu eſt quòd ſcio malè animatum eſſe Authorem in Religioſos viros, ac præcipue in Venerabiles Patres Societatis Jeſu, qui cum ab omnibus Catholicis diligi colique maximè proter ſingularem doctrinæ, morumque probitatem debeant, eos tamen Author allatrare ſæpe ſolet, & in invidiam allatrando vocare. Utitur ad id prætextu honeſto defendendi Gratiæ dignitatem, perinde ac libertatis aſſerendæ ſtudio à Jeſuitis Patribus impugnetur. Muſſat & ringitur ceu dentes velit infigere, & jam ultra progreſſus rodit Au-

thore

thores ſocietatis, quòd ſuſpectam de Gratia opinionem ſequantur. Id cum alias antea, tum maximè nuper egit, editâ contra me Appendice, in qua eos haud dubie carpit, meque ſugillat, quod cum iis de damnandis Janſenij Propoſitionibus ſentiens Semipelagianiſmum ſapiam: quemadmodum in meo lituo palam feci, ubi calumnias iis mihique impoſitas dilui. Nunc vero quoniam novo edito vernaculâ linguâ ſcripto libello manifeſtè auſus eſt Patres illos venerabiles criminari, & proditâ opellâ furtim cusâ, quæ inſcribitur *Quæſtio Theologico Hiſtorica* in qua diſputationes habitæ ſuper Molinæ doctrina coram Summo Pontifice Clemente VIII. fuerunt, & acta continentur, propriam de Gratia Societatis doctrinam calumniari, ceu in eo eſſet judicio damnata, *neceſſe erit* nefariis ejus conatibus occurrere, & fictæ Calumniæ Clavam de manibus extorquere: cum præſertim hujuſmodi opella nuperâ conſtitutione (cujus ſupra memini) ab Inquiſitorum Romanæ Curiæ Sacra Congregatione nominatim proſcripta ſit. Erit autem æquum, ut quoniam Pontificiæ Sedis & Authoritatis Societas Jeſu maxima & acerrima Propugnatrix et vindex eſt, nos qui de propugnanda eadem Authoritate agimus, Societatem quoque à Calumnia vindicemus: cum tam conjuncta utriuſque ſit Cauſa, ut non poſſit una ſine altera, aut defendi, aut oppugnari: quæ ſumma Societatis laus eſt eoſdem habere cum Sede Romana & Amicos, & Inimicos: ut quicunque unam amet, &

ambas diligat; & qui alteram oderit, ambas oderit. Id mihi legendo compertum, neminem qui Romanæ Sedi bellum hoſtis intulerit, non etiam bellum Societati huic Jeſu Sanctiſſimæ intuliſſe.

Actam fuiſſe Romæ Cauſam P. Molinæ, & coram Pontifice Clemente primum VIII. deinde Paulo V. agitatam, & ſciunt omnes, & mihi Conſtat, qui Madritti novi Baſtidam unum ex Patronis Molinæ, ſenem jam & à Societate dimiſſum: à quo ego illud accepi. An verò extent Acta illa diſputando confecta: & ubi ſint compertum non habeo. Illud memini me Anno 1648. Pariſiis in comitatu Legati Luſitanici Extraordinarij Marchionis Niſenſis audire, à Præſide Sacræ Inquiſitionis Barcinonenſis ibi tum agente, qui cum Legato & mihi familiaris erat, & frequens uſus, Exemplum idoneum illorum Actorum Summæ Fidei manuſcriptum in Chartophylacio Inquiſitionis ſervari. Cujus cum aliud exemplum Legatus poſtularet, promiſit ille (quod erat in procinctu ad iter) cùm Barcinonem perveniſſet ad Legatum continuò miſſurum: quod præſtare tamen aut noluit, aut non potuit: nec in Luſitaniam maturantibus, licuit, præſertim intercurrente bellorum turbine, per litteras exigere. Fidem tamen homini gravi, & exactæ ætatis, & inſignis dignitatis adhibui. An verò illud Legitimum eſſet & incorruptum, id certè inveſtigare non potui. Cum *Londinum* poſtea Anno 1652. Legatum Exatraordinarium Comitem Penaguianum Cubiliarchum comi-

comitatus veniſſem, incidi in quoddam exemplum hujus Diſputationis typis mandatum Anno 1644. inſcriptum, *Quæſtio Theologica, Hiſtorica & Juris Pontificij* cujus expectatione jampridem ductus & tunc erectus omnibus lætitijs (ut cum Tullio dicam) inceſſi, Itaque avidiſſimè arripui, accuratiſſimè legi : ſed non omnio acquievi. Deprehendi enim quædam in Authore affecti animi & præoccupati judicij ſigna, quæ illius Exempli fidem elevarunt. Per ea cum mentem Authoris indagaſſem, comperi eum aliarum partium à Societate eſſe : & ſuſcepto ſtudio Molinæ ſententiam impugnare, ſuamque illi oppoſitam tueri, & confirmare.

Deinde perſuadere mihi non poteram Sanctiſſimum Pontificem Clementem, dum præeſſet Cauſæ tam facile, tamque aperte in contrarias Molinæ partes iturum : & toties indignabundum commoti animi ſigna daturum : adeo ut in convitia quoque, & probra erumperet, quod apparet ex n 10. 12. & 13. Præterea illa verba Generalis Societatis Jesu ad Patrem Valentiam, relata n. 11. *Deſtruxiſti Societatem*, omnino conficta ſunt. Multa inſuper Molinæ imponuntur, quæ ne ſomniavit quidem. Quid quòd Valentiæ Summo Theologo ineptæ & inſcitæ reſponſiones ſæpe tribuuntur, quæ vel à rudi diſcipulo reddi non poſſent? Iam illa inſignis eſt impoſtura ad concitandam invidiam Societati : Moliniſtas publicè Romæ ſuſtinuiſſe, Non eſſe de Fide, *Clementem VIII. eſſe Pontificem. Et ipſum errare poſſe.* quod n. 9. habetur : quæ duæ ſenten-

tiæ maximè ſunt à Societate alienæ. Certè ut illa eſt & egregiè pia & prudens, nec ſentire illud poſſet: nec ut ſentiret evulgare deberet, iis præſertim (quæ fingit author) formidoloſis temporibus. Nec illi metus, quos n. 6. comminiscitur veri ſunt. Unde enim Panicus ille terror? qui cogeret Molinæ librum *ſuſpectum de hæreſi agnoſcere*, *& Sacro Inquiſitionis Tribunali denuntiare*, cum ejus anteà & poſteà quidam doctrinam defenderint? Nimirum timebant Cenſores, quos ad diſputationem provocabant. At, negabant ſtare ſe aut velle, aut poſſe Doctoris Angelici authoritate, id que faſſi ſunt. Credam: ſi probetur Patres Jeſuitas ſuam de Gratia & Prædeſtinatione ſententiam Divo Thomæ non aſſignare, eumque illius authorem dicere. Imo novi nil tam illis perſuaſum eſſe, quàm ſe ſuæ doctrinæ Divum Thomam habere Patronum: adeo ut putent & ſcribant eum Thomiſtis ipſis ademiſſe, ac ſibi vendicaſſe. Quo jure non diſputo: tantùm refello, quod aiunt: teſtatos eos unquam fuiſſe ſe Divum Thomam reliquiſſe. Legat qui volet unum inſtar omnium Suarium cum alijs locis tum Tomo. 2. de gratia lib. 3. paſſim, ac imprimis cap. 49. Tandem ſi Molinæ ſententia tam facile convicta & tam apertè damnata, quomodo ea poſteà tradita & defenſa eſt à Leſſio: nec contra eam quicquam expreſſè aut ſtatutum, aut vulgatum? videmus enim illius & legi librum, & ſuſtineri doctrinam: bellum que illud Scholaſticum diremptum ſilentio impoſito, cautoque ne alterutri alteris detra-

detraherent ; quod certè cum iis quæ in his actis commemorantur, minimè conſentiunt.

Hac me moverant anteà ad credendum illum libellum apocryphum eſſe : nuper autem lecto ſuper hac ipſa re P. Annati judicio, quod paucis poſt quam hæc ſcripſiſſem diebus, oblato mihi à P. Antonio Barradio Societatis Jesu, viro docto & deſignato Lucitaniæ Provinciali, ejus ultimo contra Janſenium libello, expreſſum legi meam firmavi ſententiam. Nunc tandem acceptâ Sacræ Romanæ Inquiſitionis Cenſurâ illam opellam damnante, id omnino mihi perſuaſi. Conſilium vero mihi placuit meum, qui cùm maximè à Molinæ ſententijs de Gratia, placitis que diſſentiam, quòd ſint illa ab Auguſtini doctrina prorſus aliena, nunquam tamen ad ea impugnanda uti volui hujuſce Conſtitutionis argumento, nec enim de illius fide conſtabat; non ſoleo autem in ſententiis, aut oppugnandis, aut confirmandis, fluxis & incertis uti rationibus : quemadmodum Thomas Anglus, qui cum in hac conſtitutione magnum ſitum eſſe præſidium putet, ſubrui ac procidere repente admoto Romanæ authoritatis ariete ſenſit, & doluit. Quid autem ex hujuſmodi diſputatione habita Romæ adverſus Molinam colligi poſſit (nam id ego conjecturis idoneis aſſequor) aliàs in libro, quem contra Arminium & Remonſtrantes adorno, conijciendo exponam.

Graviores multò ſunt ij, quos circa Authoritatem Papæ in conferendis indulgentiis admittit errores

rores, qua de re quoniam ego latiùs, & copioſiùs ſingulari quæſtione adverſus eum ſcripturus ſum: quam hic adornare jam cæperam, & ſubito diſceſſu intermiſi, in aliud tempus reſponſionem reſervo. Ac ſecundo edito libro non eum modo, ſed omnes etiam Heterodoxos illorum argumentis adductis ſuſcepto ſtudio refutabo.

Hoc eſt meum de Authoritate *Pontificis* Romani verum ſyncerum que judicium: quod ipſum ego, & cæteras meas quacunque de re ſententias, Eccleſiæ Romanæ Cenſuræ ſubijcio.

FINIS.

ERRATA.

Pigi. 13. lin. 11. deprehendentur lege deprehenderentur. p. 27. l. 23. Saxaem lege Saxeam. p. 30. l. 18. negant. lege negabant. p. 34. l. 6. ligatur & ſoluetur le. ligetur & ſoluatur. & l. 22. ad quod dele ad. p. 46. l. 11. ſuos le. ſuas. p. 90. l. 26 alijs le. alij. p. 51. l. 3. omnes. le. id eſt omnes. p. 58. ac ejus vicem. le. ac ejus cujus vicem. p. 58. l. 24. eſſe. le. eſſet. p. 60. l. 23. graviteri. dele i. p. 64. l. 10. extra re. dele re. p. 66. li. 1. p. 82. videnius le. evidentius. 16. in. dele in. p. 83. l. 9. habui. lege haberi. p. 99. l. 13. nobis. le. vobis. p. 103. l. 24. conſentientem. le. conſenſionem. p. 107. l. 1. Patris. le. Patres. p. 110. l. penult poſt Romani Pontificis adde. non confirmatum. p. 149. l. 24. authorines. le. authoritatis. p. 151. l. 27. exercereâ dele â. p. 154. l. 1. ſignificaret. le. ſignificare. p. 163. l. 9. judicem le. judicium. ib. A hore. le. Authore. ib. lin. penult. celebrando. le. celebrandi. p. 165. l. 5. Eccleſia. le. Eccleſiæ. p. 167. l. 9. cuſtodiendum. le. cuſtudiendam ib l. 10. nullam le. nullum. p. 168. l. 17. cupido. le. cupidi. p. 170. l. 6. probamus. le. probemus. ib. li. 20, â vobis le. nobis. p. 174. l. 5. 5 cur. le. cur. ib. l. 11. interiores per interiores. p. 180. l. 1. nulla. le. nlla. ib. l. 6. ac dele. p. 183. l. 11. facile le. falli p. 184. l. 4. admitteret. le. amitteret. p. 185. l. 6. cum dele cum. ib. li. 14. hic le. id. ib. l. 26. & le. ſed. ib l. 28. conjunctum. le. conjunctis. p. 196. l. 13. non dele non. p. 210. l. 9. capuale. capita. ib. igniit. dele it. p. 212. l. 3. audo. le. adeo. p. 218. li. ult. eum. le. cùm. p. 223. li. 3. alios. adde ne alios. p. 236. l. 27. Bellarmine, Toleque. le. Bellarmini Toletique.

ARTICULUS III.

Sententiæ quædam nexæ cum hoc errore Thomæ Angli proponuntur & refelluntur.

THeologica quædam Authoris opuſcula ac curate legens, comperi eum ex illo de Authoritate Papæ perverſo judicio inſolentes & temerarias non paucas opiniones tanquam ex Fonte duxiſſe: aliiſque, ſi in eo ſit deinceps perſtandum, occaſionem præbuiſſe, quibus ni occurram fieri poterit, ut & ille novos errores hauriat, & cæteris propinet. Nam qui ſemel negat infallibile Papæ in decernendo judicium, conſequens eſt eum illius Decretis minimè obtemperaturum. Id & accidiſſe Authori exemplis adductis confirmem, & ne poſtea accidat, monendo occupabo.

Igitur in appendice, quam adverſus me edidit in Cauſa Janſenij non minus meum de Cenſura Pontificis, quàm Pontificis de Propoſitionibus Janſe-

nij